







670  
1785,7

DELIBATA IVRIS PVBLICI CAPITA  
DE  
IVRE EVNDI IN PARTES  
OFFICIOQVE IMPERATORIS  
ORDINIBVS IMPERII IN PARTES  
EVNTIBVS

---

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
PRAESIDE  
D. CHRISTIANO GOTTLOB BIENERO

IVR. NAT. ET GENT. PROF. PVBL. ORD.

A. D. XVII. FEBRVARII CIDIO CCLXXXV.

H. L. Q. C.

AD DISCEPTANDVM PROPONIT  
AVCTOR  
FRANCISCVS GVILIELMVS SCHARF  
LIPSIENSIS.

---

LIPSAE  
EX OFFICINA IACOBÆERIA.

DELIBATA IVRE PUBLICI CAPIT  
IVRE EVNDI IN PARTES  
OFFICIOVE IMPERATORIS  
ORDINIBVS IMPERI IN PARTES

ILLVSTRICISSIMO PRINCIPIS ELECTORIS  
D. CHRISTIANO GOTTLIB WERNER

BRANCOVS CALVINVS





---

DELIBATA  
DE  
IVRE EVNDI IN PARTES OFFICIOQVE  
IMPERATORIS ORDINIBVS IMPERII IN  
PARTES EVNTIBVS CAPITA.

---


*Prooemium.*

§. I.

*De utriusque religionis in Germania Corporibus vniuersim.*

**L**ibertas Germaniae a primis reipublicae nostrae incunabulis gradum semper obtinuit suum, petitionesque, quo modo cunque factas prudenter declinavit. Principum enim potentia et Imperatoris potestas ab antiquissimis temporibus aequa fere lance vniuersi imperii salutem sustinuit, vt etiam si praegraui momento haec illaue inclinare inciperet; mox tamen ad iustum momentum et aequilibrium redigeretur, vt libertas in patria sua canescere, nunquam mori, videretur. At vero ingruente hierarchiae, quacum vniuersa regiminis forma artificis iuncta erat, ruina, et noua inde religionis prole nata, euenit, vt inter ipsos Imperii Ordines contentiones, primum quidem de religione, mox autem de vniuersa salute, fererentur. Vrgentibus paulo post reipublicae Germanicae fatis et re in eum statum deducta, vt sine noua reipublicae forma salus ex-





pediri non posset, fata non solum fuit purior religionis christianaee ecclesia, sed stetit etiam creuitque consilio ac manu Principum suorum defensa, et maximas inter procellas tanta cepit incrementa, vt vtriusque partis salus pacem et concordiam suadere, quid? quod postulare videretur. Inde legibus imperii publicis ecclesia altera, Evangelica nimirum, recepta fuit iuxta veterem, quam maiores nostri ex Italia et Gallia acceperant, paremque tutelam et iura paria cum religione Catholica obtinuit. Irrepsit autem illa ecclesiae Germanicae diuisio in ipsam rempublicam, vt quae antea religionis et libertatis tuendae causa inita fue at societas, virgente altera parte neque pacem quam Evangelicis sponderat, vti par erat, praestante, in foedus perpetuum coalésceat, neque ecclesiam solum suam et religionis tutelam, sed vniuersam salutem arctissimo ecclesiae, religionis et libertatis vinculo cohaerentem, complecteretur. Inde Corpus Evangelicorum paulatim excreuit, vsuque et obseruantia legibusque imperii publicis vim et auctoritatem obtinuit publicam in vniuerso imperio, (1) propriam autem formam internamque politiam pactis ex libertate Corporis tam naturali, quam ciuili initis accepit (2) floretque SERENISSIMO PRINCIPE, SAXONIAE ELECTORE, DIRECTORE, cuius cura

(1) Scripta recensuit ILLVSTR. RÜTTERTVS *Litteratura Iuris Publ.* T. III. §. 978. Breui sed solide et accurate, vti solet, origines et progressus Corporis Evangelici exposuit GEN. DE SELCHOW *Elem. Iur. Publ. cap. IV. Sect. II §. 187.* POSSELT *breuiem Corporis Evangelicorum historiam (Keklae 1784 8uo.)* scripsit, quae tamen in manus mihi nondum venit.

(2) In hanc rem adhiberi debet excellentissimum opus GENER. DE SCHAV-

ROTH *Vollständige Sammlung aller Concluforum, Schreiben und anderer übrigen Verhandlungen des hochpreisslichen Corporis Evangelicorum T. I-III. 1777. fol.* Plura hic reperiuntur pacta, quibus vinculum Corporis Evangelicorum continetur, eminent tamen CONCLUSVM AN. 1723 quo vtraque religionis Evangelicae ecclesia arctiore vinculo coniuncta fuit, apud SCHAVROTH T. II. p. 492.



cura et sollicitudine pariter atque prudentia et moderatione non potest non in dies magis magisque in vniuersi imperii salutem et religionis Euangelicae incrementa efflorescere.

Ad exemplar Corporis Euangelicorum ab altera parte Catholicorum Principum Corpus effectum efformatumque fuit, cui paria cum Corpore Euangelicorum omnino competunt iura. Ego saltem Catholicis neque ipsum Corpus religionis, neque iura eius in dubium vocare audeo. quanquam iure Corporis parcius vti solent, vel quia internum ecclesiae suae regimen etiam nunc cura Episcoporum et Summi Pontificis ordinatur, vel quia numero suffragiorum in comitiis praevalent, vel quia magna vis etiam Directoriis penes Catholicos fere existentibus inest, vel quia ipsum imperii caput in partes Catholicorum inclinare ideoque iam per se sat ponderis habere solet. Nec tamen inde argumentari debemus aut non existere Corpus Catholicorum, aut infirmiore iure vti. Exacta enim vtriusque religionis aequalitas id plane non admittit. (3)

A 3


Itaque

(3) Catholici fere negant, se iure Corporis vti in Germania, quid autem causae sit, non video. Exacta enim vtriusque religionis aequalitas, quam I. P. vbiq; inculcat. ART. V. § 1. autem his verbis conlinit: *inter vtriusque religionis Electores, Principes, Status omnes et singulos sit aequalitas exacta mutuaque — ita, ut quod vni parti institum est, alteri quoque sit institum*; haec, inquam, vtriusque religionis aequalitas efficit, vt Catholicae religionis Principibus idem ius Corporis, atque Euangelicis tribuatur. Deinde saepius etiam Catholici cum Euangelicis de Corpore ad Corpus traclarunt, quod itaque

re obtinet, cur verbis negetur, non video. Iure suo vti velint nec ne, nihil refert, id enim Euangelicos non curare, palam est. Foedere quidem pacto efformatum fuisse Catholicorum Corpus, legere non commemini, sed quid pacto opus est in re, legitus constituta? Euangelicorum enim plane aliae fuerunt arctioris vinculi pactis contrahendi rationes, non vt ius Corporis demum acquirerent, quippe quod natura ac lege ipsis datum fuit, sed cum premerentur ab aduersariis, religionisque suae consortes in angustias redigerentur, necessarium visum fuit, id quod lege datum fuerat, vsuque obtinuerat, pacto confirmare. De pari

vtrius.





Itaque duobus per vniuersam Germaniam Corporibus constitutis, necesse fuit, vt nouus plane modus tractandi negotia ad vtrumque Corpus pertinentia introduceretur, atque inde nata fuit itio in partes, votum Corporis commune et consultatio de Corpore ad Corpus, donec res in disceptationem vocata, amicabili compositione vtriusque Corporis definitur.

Iura

vtriusque Corporis iure recte disputat FRANKIUS in libro: *Nachricht von den Reichstagen cap. VI. §. 2.* DAN. HOFFMANN *Diss. de Voto Euangelicorum communi §. IX. p. 22.* IAC. MOSER *Von der deutschen Religionsverfassung Lib. III. cap. 5.* et quem primo loco nominare par fuisset, GEN. DE SELCHOW *Elem. Iur. Publ. cap. IV. Sect. II.* Iudicium noui et aequi scriptoris I. B. DE EBERSTEIN in libro: *Abhandlung aus dem deutschen Staatsrechte, von der Religions-eigenschaft sowohl der Civil- als Kurialstimmen auf deutschen Reichstagen; insbesondere von der Religionseigenschaft der Fränkisch- und Westphälischen Grafen-Kollegiums* (Maynheim 1784. 8uo) p. 20. audiamus. At enim: Die katholischen Publicisten längnen mit gutem Grunde, daß es ein katholisches Corpus ganz nach dem Schnitt des evangelischen gehe. In diesem Sinne wurde auch öfters dem Ausdruck Corpus Catholicorum widersprochen, z. B. von dem Kur-Maynzerischen Gesandten am 12 April 1752. Versteht man aber unter dem katholischen Corpus nichts anders, als freie Zusammenkünfte der katholischen Stände zur Erhaltung ihrer Religions-Rechte ohne irgend ein'ge fernere Annahmen, so kann man allerdings die Existenz

dieses Corpus zugeben. In diesem ungeschädlichen Sinne bediente man sich auch zuweilen selbst des Ausdrucks in Staats-schriften. Allein auf diese Weise wird schwerlich jene Aehnlichkeit mit dem evangelischen Corpus herauskommen. Sed doctissimum de Eberstein meminisse oportuisset, hanc ipsam esse et notionem et intentionem Corporis Euangelici, vt sua suaeque religionis iura tueatur contra vim et iniuriam, neque quicquam, praeterquam quod iure, lege, aut aequitate contineatur, postulet, id quod saepius Euangelici declararunt, veluti apud SCHAUROTH *T. II. p. 788.* Hoc autem remedio auxilioque saepius vti Euangelicos, quam Catholicos, conficitur ex forma comitorum et vniuersi imperii, praesertim cum Catholici ex antiqua possessione dominatum exerceant, aequalia iura Euangelicis data aut denegando aut interuertendo. Quamobrem hac nostra disputatione veriti non fuimus, paria vtrique Corpori tribuere iura, neque id nobis vitio verum iri putamus, et legum imperialium sanctionibus et sumptorum virorum auctoritate tuis. Singularia iura Corpori Euangelicorum competentia, recenset SCHAUROTH in Praef. ad *T. III. Concl. Corp. Euang.*



Iura quidem Corporis Evangelici, modum tractandi negotia de Corpore ad Corpus, cum iure declarandi votum communem iam dudum vindicarunt viri docti atque extra controuersiam profuerunt, licet capita quaedam adhuc disceptari soleant. (4) Quamobrem pauca tantummodo delibare constitui, quae ad ius et libertatem eundi in partes spectare videntur. Sed cum non ea est itionis in partes ratio, vt totius imperii compages soluatur, legumque publicarum vincula rumpantur, Princeps autem et Caput Germaniae est Imperator; magna omnino quaestio est, quae sint iura Imperatoris et officia, Ordinibus Imperii in partibus euntibus, de qua quidem re, qui exposuerit, reperi neminem. Summam quidem huius doctrinae PRAESES MEVS, BIENERVS V. CL. in opere suo: *de Plenitudine Potestatis Caesaricae* (5) attulit, mihi tamen auctor suasorque extitit, vt hunc locum pro viribus excolerem, praesertim cum nostra memoria haec quaestio magnam vim in ipsam reipublicae salutem habere videatur. At enim etiam huius rei pauca duntaxat delibabo capita, sine ira quidem et studio, eaque vtar libertate, quam scriptori iuris publici et datam esse et dari oportere existimo, videli-

(4) Post FRANCKIVM nostratem in Bibliotheca Comitrali, nubem scriptorum coegit ILLVSTR. PÜTTERVS Litt. Iur. Publ. Tom. III. §. 1035-1038.

(5) PRAESIDIS opera, quibus in hac scriptione simul vltus sum, semel allegasse sufficiat. Primum huc refero: *Bestimmung der Kaiserlichen Machtvollkommenheit in der deutschen Reichsregierung nach ihren wahren Ursprung und Abfuhren, aus Urkunden, Staatshandlungen und Gesetzen erwiesen, Leipzig 3 Theile suo 1780.* Supplementa huius operis complectitur commentatio, *Von der kaiserlichen Advocatie über*

*den Stuhl zu Rom, Päpflliche Heiligkeit und christliche Kirche zur Erläuterung der kaiserlichen Wahlcapitulation und anderer Reichsgesetze, auch Bestimmung der Rechte und Pflichten, welche nach der Staatsverfassung des deutschen Reichs und den heutigen Europäischen Völkerrechte daher erwachsen, Leipzig in der Buchhandlung der Gelehrten 1783. suo.* Quibus tamen iungi velim opus: *De natura et indole domini in territoriis Germaniae eiusdemque effectibus tam in regalibus, quam in alienando et obligando territorio conspiciendis, Halae 1780. suo.*







videlicet, ut ex monumentis, actis gestisque Germaniae, nec non ex usu, obseruantia legibusque imperii eruat, quae ipsi iusta iniustae videantur, eaque aetiori tam virorum doctorum, quam eorum, qui tractant rempublicam, submittat iudicio. Quamobrem si quid in vno alteroue articulo peccauerim, veniam mihi datum iri spero, quid? quod confido, haec ipsa, autem, quae imprudens peccaero, peritioribus emendanda, corrigenda, aut si e re videatur, delenda permitto.

C A P V T I.

*De iure eundi in partes et plenissima eius rei libertate Corporibus  
vtriusque religionis praesertim Corpori Euangelicorum  
competente.*

§. II.

*De itione in partes eiusque fundamento ac fine.*

Novum non est atque ex vniuersa Germaniae historia constat, Ordines regni salutis publicae ergo saepius in Corpora fuisse diuisos et maximi momenti negotia de Corpore ad Corpus et tractata et definita fuisse. (1) Quae quidem Ordinum Imperii in Corpora distinctiones, quemadmodum ex singulari causa natae, ita etiam sine obtento perfectoque negotio dissolutae fuerunt, sed distinctione subditorum, Principum atque ipsorum territoriorum secundum religionem Catholicam et Euan-

(1) Testimoniis et exemplis id probare a loco nostro alienum est. DAT De Pace Imperii publica, quemuis edocere potest, foedera per Germaniam liberrime fuisse inita, neque insolens fuisse, ut comitia in partes discederent, remque aut armis aut transactione de-

finirent. Quod quidem promiscuum iucundi in partes ex pristina gentis libertate eum hodierna in partes itione plane non est commiscendum, patet tamen a natura reipublicae Germanicae itionem in partes non abhorrere.



9

Euangelicam facta et legibus publicis munita, iuribusque inter  
 vtriusque religionis Procereis statutis et distributis, necessarium  
 erat, vt et ipsi Principes in duplex Corpus ex qualitate religio-  
 nis perpetuo diuiderentur et nouum plane remedium ad iura  
 cuiusuis Corporis et aequalitatem obtinendam constitueretur.  
 Atque in hunc modum ex ipsa religionis ac ciuitatis Germani-  
 cae natura inuenta aut diuinitus potius data fuit itio in partes,  
 quae ab Imperatoribus omnibusque Ordinibus Germaniae agni-  
 ta, vsu et obseruantia munita, legibus imperii publicis recepta  
 et confirmata, formam imperii fundamentalem, sine qua salus  
 eius stare nequit, nunc constituit. (2) Haec autem ITIO IN  
 PARTES EST REMEDIUM IURIS PVBLICI, LEGITIMVM  
 CORPORIBVS VTRIVSQUE RELIGIONIS ERGA SE INVI-  
 CEM DATVM AC PERMISSVM, VT SVBLATA SVFFRA-  
 GIORVM VI ET AVCTORITATE SALVS PVBLICA PER  
 EXAEQVATIONEM PROCERV M VTRIVSQUE RELIGIO-  
 NIS AMICAMQVE TRANSACTIONEM OBTINERETVR.  
 Breui definitionem hanc explicabo. REMEDIUM IURIS PV-  
 BLICI LEGITIMVM dicimus itionem in partes, vt intelliga-  
 tur, non quamlibet in duo aut plura corpora partesue disces-  
 sionem, esse itionem in partes, sed eam dumtaxat, quae forma  
 sit et modo legibus definita. Neque enim mens legis est, vt  
 tollatur forma reipublicae, sed vt legitimo modo vis et iniuria  
 impediatur. Quemadmodum enim ciuibus remedia iuris data  
 sunt, tam ad obtinendum ius suum, quam ad laesionem auer-  
 tendam declinandamue, ita omnino etiam fieri potest in re-  
 publica, atque ex indole ciuitatis Germanicae fieri oportuit,  
 vt etiam in negotiis regni imperiue publicis remedium legiti-  
 mum ad ius suum obtinendum laesionemque impediendam et  
 auertendam constituatur.

CORPO-

(2) Princeps locus est INSTR. PAC. Art. V. §. 52. quem postea exponemus.

B







CORPORIBVS VTRIVSQUE RELIGIONIS ERGA SE INVICEM DATVM AC PERMISSVM FVIT hoc remedium, ideoque fundatum in ipsa religione et vtriusque religionis Corpore. Fundamentum itaque praebuit religio, et quae exinde nata fuit Principum in Catholicos et Euangelicos distinctio, eorumque in duo Corpora separatio. Etenim cum Imperator et Catholici intelligerent experiendo, diu multumque bellando, Euangelicos sub pristinum ecclesiae Catholicae iugum redigi non posse, religionem Euangelicam in sinum et tutelam imperii recipere eique paria cum religione Catholica dare iura e re publica crediderunt. (3) Atque hoc fundamento itio in partes nititur.

(3) De exacta vtriusque religionis aequalitate iam supra diximus et INSTR. PAC. Art. 5. §. 1. laudauimus. Plures in hanc rem exstant sanctiones, quas non promam, cum in hoc genere elaborarunt MOSERVS *Von der deutschen Religionsverfassung Lib. I. c. u.* MAIERVS *in deutschen Geiſtlichen Staatsrechte P. I. cap. VII. Sect. III.* alii- que. Breui varios casus, expressa Pacis Westphalicae sanctione definitos, proposuit HOFFMANN *in Analyſi P. W. p. 21. seqq.* Ista autem aequalitas per vniuersum imperii regimen singulasque eius partes manat, ideoque et verbis et menti legum publicarum repugnant regulae, quas statuit BANNIZA *de subsidiis interpretationis doctrinalis Pacis Rel. et Westph. num. XI et XII.* At enim: *Quidquid Catholicis expresse non ad- eant, id omne mouere concessum;* *Quidquid Confessionistis expresse non concessum, id omne illis videri de- negatum.*

IOSEPH. HAYS *in diff. de Iudice reli- gionis in Germania non toleratae §. VIII. p. 24.* id ad articulos fidei adeo profes- rendum censet. Ad probationem ista- rum regularum instruendam, leges Ro- manas et, si Diis placet, canones pro- ducunt, Bartolum et Baldum euocant, et talia argumenta ex Glossis adeo propo- nant, vt legentem non possit non falli- dire. Refellere autem haec, foret otio abuti, oleumque et operam perdere. RIEFFELIUS, Wurceburgensis Doctor, *in critischen Betrachtungen über ver- schiedene Staatsfragen num. I.* hanc ae- qualitatem conuelleret et limitibus cir- cumscribere nouiter studuit, ad cuius partes etiam SCHMIDIVS *in Theſ. Diff. Select. T. I. p. 510.* accedit, sed totius argumenti vis a viris doctissimis allati ad antiquitatem religionis Catholicae in Germania redit. Ego vero huius argu- menti rationem non perspicio. Euangelicam enim religionem infirmiore iure vt, quia recentior est, plane non co- haeret.



nifitur. Itaque omnis alia difceffio, quae non fecundum religionis Corpora fit, illicita eft, neque pro remedio legitimo haberi debet, nifi alio modo iam legibus publicis formam Corporis Collegiue obtinuerit. Conuentus fingulorum negotiorum cauffa habere, ex prifina Germanorum et Ordinum Imperii libertate retentum et legibus publicis confirmatum fuit (4) ideoque eatenus quorundam Statuum congregatio legitime fieri potefit, fed nos de Corporibus religionis et legitima eorum in comitiis difceffione difputamus. FINIS autem itionis in partes primum quidem eft, VT TOLLATVR ET IMPEDIATVR SVFFRAGIORVM PLVRALITAS. Regitur Germania Imperatoris et Principum iudicio. Antiquiffimis quidem temporibus, quoad populus regiminis particeps erat, fuffragiorum latio non aderat. Oratione et auctoritate Principum in concordiam fere redigebantur difcrepantes populi fententiae, neque religio erat, rem armis committere, vt ex bellica gentis indole definiretur. Aucta autem Principum Germanicorum potentia, bellisque ex difcordi Principum opinione fatis, e re publica vifum fuit, fuum cuique iudicium permittere quidem, fed conftituere fuffragiorum lationem, ipfumque negotium numero, non pondere, fententiarum definire. (5) Atque haec nunc eft iuris publici re-

B 2

gula

haeret. Antiquitas enim exiftentiae in tempore et annis, fed non in iure praerogatiuam tribuit, nifi leges iura erga fe inuicem fecundum antiquitatem temporis efle ordinanda ftatuant. Quamobrem, vt hoc exemplo vtar, homo, homo eft, fruitor iuribus hominum ex fe ipfo erga quemque, neque temporis aut aetatis praerogatiua in confiderationem cadit. Itaque Euangelici exactiffimam virtusque religionis acqui-

litatem in vniuerfo Imperii regimine et fingulis eius partibus recte vrgent, cuius quidem rei argumenta fimul et exempla praebent LITTERAE CORPORIS EVANGELICI an. 1723. datae apud SCHAVROTH T. I. p. 352.

(4) Cf. CAPITVLATIO IOSEPHI II. Art. XIII. §. 10. Art III. §. 12.

(5) Antiquiffima in hoc genere fando efle videtur, de Elezione Imperatoris per plurima fuffragia anno CIOCCXXXVIII.





gula per vniuersum Germaniae regnum omnesque eius partes recepta, vt maior numerus suffragiorum praeualeat minori, omnes autem negotio in hunc modum definito teneantur. (6)

At vero paulatim edocti fuerunt Principes Germaniae se premi interdum et iniuriam pati suffragiorum latione, Euangelici imprimis Catholicis suffragiorum numero non pares sentiebant, de se suaque religione, libertate et salute actum esse, nisi remedium contra suffragiorum lationem adhiberetur. Negarunt itaque suffragiis, praesertim aduersariorum suorum, iura religionis definiri posse, Imperatore autem et Catholicis id ipsum aientibus et more maiorum suffragia de salute et religione Evangelicorum contra ius et fas ferentibus, hi necessitate adacti foedus et Corpus iunxerunt et, natura duce, itionem in partes, optimum contra vim et suffragia remedium, inueniunt, religione primam eius rei occasionem praebente. Hanc enim suffragiorum ab aduersariis latorum numero definiri non posse, manifestissimi iuris erat, ideoque et agnitum fuit hoc remedium et receptum legibus publicis et ad ipsam reipublicae Germanicae formam relatum, vt ne vis et iniuria ex suffragiorum latione oriatur. (7) Itaque finis secundus itionis in partes est,

CIOCCCXXXVIII. in Constitutione de Independentia Imperii apud LEIBNITIVM in Cod. Iur. Gen. Dipl. aliosque obuia, quam CAROLVS IV, AUR. Bul. cap. II. repetiit, illustrauit autem DAN. HOFFMANN *diff. de pluralitate suffragiorum in electione Imperatoris*, Tab. 177. 4to.

(6) *CE. REG. IMP. AN. 1497. §. 7. REC. IMP. TREV. AN. 1502. Art. I. §. 7.* et loca astitim citata apud STRVVIVM *Corp. Iur. Publ. c. XXIII. §. 39. THEL-*

*LIVM diff. de votorum pluralitate §. X. ICKSTADIVM diff. de Iure maiorum cap. II §. 13. Opusc. T. II. p. 67. MOSERVM Iur. Publ. Tom. XXXVIII. Lib. IV. cap. 33. pluresque alios, quos commemorare longum foret.*

(7) Quod quo modo, quibusque rationibus processerit, exposuerunt plures, commemorare iuvat STRAVGHIVM in *Diss. Exotericis num. VII. PFEFFINGERVM ad Vitricium T. IV. p. 392. MOSERVM Iur. Publ. Tom. XXXVIII.*



est, vt minor numerus exaequetur maiori, non vt promiscua turba consideratus, sed secundum qualitatem religionis in quovis Corpore spectatus. Inde fit, vt tantumdem valeat votum Corporis commune, alteri Corpori declaratum, atque omnia suffragia ab altera parte maximo numero lata. Hinc oritur vtriusque Corporis exaequatio, vt, cessante votorum pluralitate, vtrumque in pari gradu erga se inuicem constitutum videatur. Ex quo simul sequitur tertia istius remedii intentio, scilicet, vt res amica transactione inter duo Corpora aequalia definiatur, quod quidem salutis publicae causa prudentissime constitutum fuit. Itaque summa huius remedii haec est, vt salus et libertas reipublicae Germanicae per exaequationem iurium vtriusque religionis Corpori tributam promoueatur. (8) In hoc igitur

B 3

remedio

XXXVIII. Lib. IV. cap. 33. ICKSTADIVM *diff. de fundamentis et historia exceptionum a iure decidendi per suffragia maiorum in comitiis et conventibus aliis Imperii Romano-Germanici cap. II. Opusc. T. II. num II. MAIERVM in Iur. Publ. Eccl. Germ. §. 10. 119. et STECHERVM in diff. de non attendenda votorum pluralitate in Imperio Romano-Germanico et liberis civitatibus mixtis (PRAES. MAIERO V. CL.) p. 22. 44. Ex nouissimis imperii actis gestisque quaedam excerptit MOSERVS in Suppl. ad Ius Publ. T. I. p. 568.*

(8) CORPVS EVANGELICORVM in voto communi, anno 1730 apud SCHAVROTH T. I. p. 298. intentionem suam egregie declarat, neque mihi temperare possum, quin verba adscribam CORPVS ait: *Dann in der Thor selbſt seye nichts unschuldigers in der Welt, als daß die Evangelische in Dingen, die nicht gleich*

*durchgängig alle Stände auf einerley Art, sondern die Evangelische in commoni besonders interessieren, diese darinn gemeine consilia fassen, und zu Verhütung, daß Ihnen per Maiora Catholicorum nichts zu ihrem Nachtheil geschlossen werde, zusammenstehen, und causam communem machen, solche Ihre gemeine Meynung auch Communi Voto zu erkennen geben, nicht denen Herren Katholischen etwas abzudringen, sondern zu verhüten, daß Dieselbe denen Evangelischen nichts abdingen und abgeben mögen, nicht die Reichsverfassung unzulässig zu erhal-*  
*ten, als welche von abralten Zeiten her wolte, daß der mehrere Theil über den weniger nicht dominire, sondern wie freye und gleiche Stände, als boni Cives mit einander handeln, sich freundlich über die vorkommende Dinge verstehen, sich gütlich vernehmen, die beiderseits habende*



remedio salus reipublicae vertitur et qui hunc religionis ac libertatis cardinem labefactant, totam rempublicam, si non pessumdare, concutere certe et fundamentum, post longa et diuturna bella tandem iactum, euertere conantur. Quod quantopere a quocunque Germaniae ciue et viro bono absit, per se iam satis intelligitur.

## §. III.

*De vi et potestate functionis Instr. Pac. Art. V. §. 52. complexar.*

Datum atque permissum fuit utriusque religionis Corpori  
ius eundi in partes his verbis:

IN CAUSSIS RELIGIONIS OMNIBVSQVE ALIIS NEGOTIIS, VBI STATVS TANQVAM VNVM CORPVS CONSIDERARI NEQVEVNT, VT ETIAM CATHOLICIS ET AVGVSTANAE CONFSSIONIS STATVVS IN DVAE PARTES EVNTIBVS, SOLA AMICABILIS COMPOSITIO LITES DIRIMAT, NON ATTENTA VOTORVM PLVRALITATE.

Breuis

habende rationes conferiren, und also sich amicableiter eines gewissen vergleichen. Woraus ja offenbarlich erhelle, daß die Ewangeliſche allein de domino vitando certiren, und denen Herren katholischen eben ſo wenig etwas aufdringen wollen noch können, als ſolches bey denen gewöhnlichen Re- und Correlationibus inter Collegia geſchiebet, wann diſcrepante Meinungen vorkommen, und deswegen nicht leicht ein Reichsgutachten erſitzen geblieben, ſondern bey gebatrer guter Intention und Willen zum Vergleich ſich wohl noch Mittel gefunden, fried- und ſchiedlich zum gemeinnützigem Zweck zu gelangen. Ewan-

geliſcher Seits ſuchte man nichts anders, als die in dem Inſtrumento Pacis ſo deutlich und nachdrücklich ſtabilirte exactam aequalitatem utriusque religionis Statuum zu behaupten, und nicht aufkommen zu laſſen, daß einige unter denen Herren katholischen, ſo die andern in ihre Partbey zu ziehen wiſſen, überall den Meißer ſpielen, und die Ewangeliſche nur als gute Ja- Herren ſo mit ſpazieren laſſen, wann ſie wollen ja ſagen, wann ſie aber diſſentiren, ſolches alles verachten, ja gar zu ihrem größten Nachtheil ſchließen können, was ſie wollen.



Breuis haec, sed maximi momenti sanctio exercuit viros doctos, longaque et in vtramque partem diu multumque agitata de ipsa re et speciebus sanctione complexis fuit disputatio (1) tandem tamen vis eius et potestas contra callidam iuris interpretationem in clara luce fuit collocata et ab omnibus agnita. (2)

Summa sanctionis haec est, vt definita caussarum, negotiorumque genera imperio ciuili et suffragiorum decisioni eximantur, in exemptis vero sola amicabile composio obtineat. Triplex autem caussarum genus distingui et imperio ciuili eximi palam statuitur. Primum quidem eo referuntur caussae religionis. De his quidem nulla plane est disputatio. A primis enim religionis Euangelicae incunabulis id ipsum actum et obtentum fuit. (3) Alterum genus complectitur ea negotia, in quibus Status tanquam vnum Corpus considerari nequeunt. Quae sint haec ipsa negotia, multum negotii faceffit viris doctis, tandem tamen, post longam disputationem, eorum obtinuit sententia, qui iura singulorum naturali aut ciuili lege quaesita intelligunt. Conditores enim nouae reipublicae naturam ducem

(1) Solas religionis causas esse exceptas et plures alii et inprimis de BEVLWITZ *diff. de nimia extensione iurium singularium* (Lips. 1748. 420) statuit. Abutuntur hi viri acis quibusdam Imperii contra clara legis verba. Duo genera seu duas species intelligit ERDM. SCHMIDT *diff. de diuersitate et numero specierum in §. 52. Art. V. I. P. a iure maiorum exceptarum* Lenao 1762. 410.

(2) Principatum optimo iure obtinuit libellus: SACRA LIBERTATIS ANCHORA, h. e. *Analysis §. in caussis 52. Art. V. I. P. W.* ubi agitur de plu-

ralitate votorum in quibus caussis non sit attendenda; *speciatim de iure eundi in partes, nec non de iuribus singularium, Ratisbonae 1720. fol.* Exstat etiam apud SCHAVROTH T. II p. 42 *seqq.* MOSERVM *Iur. Publ. T. XXXVIII. p. 38. seqq.* aliosque.

(3) Iam in TRANSACTIONE FASSAVIENSI §. II. expressis verbis declaratum fuit, suffragiorum decisionem in caussis ad religionem pertinentibus cessare oportere, id quod saepius agnatum et confirmatum fuit ab Imperatore et Ordinibus Germaniae.





cem in sanctione illa secuti, primum causas religionis eximendo effecerunt vt ne quis ad religionem amplectendam contra ius et fas compelleretur; deinde etiam felicitatis humanae rationem habentes iura cuiusuis propria, natura aut lege quaesita, ex indole ciuitatis Germanicae suffragiis exemerunt. Latissimae autem hoc genus in Principibus Germaniae eorumque territorii manant atque omnino ad libertatem Principum ciuilem, in regendis territoriis iuribusque suis suorumque subditorum tuendis ac conseruandis conspicuam, refertur, vt ne conspiratione plurium suffragiorum facta iuribus suis, priuilegiis, territoriisque exuantur Status et Principes, qui partem ipsius imperii constituunt. Singula autem iura hoc libello complecti meum non est. (4) Tandem cum intelligerent Conditores Pacis prudentissimi et cautissimi, fieri posse, vt dubitatio de singulis speciebus utroque genere comprehensis moueretur, et finis sanctionis interverteretur, placuit subiungere regulam generalem et statuere, vt esset votorum pluralitas:

CATHOLICIS ET AVGVSTANAE CONFSSIONIS  
STATIBVS IN DVAS PARTES EVNTIBVS.

Progressio a generibus determinatis, ad summum genus facta fuit, vt regula, vltimo loco posita, primum quidem duo genera priore loco posita simul complecteretur, si contingeret, vt vnum alterumue eius generis caput in comitiis tractaretur, deinde inprimis omnia reliqua negotia, de quibus in comitiis aliisque imperii conuentibus consultationes instituuntur, comprehenderet. Quae quidem negotia tertium genus constituunt,

ii

(4) Iura singulorum vberius explicarunt AB OSTERHAVSEN *Diss. de iure singulorum a maiore suffragiorum par-*

*te excepto, Witt. 1728. 4to.* GOTTLIEB FRANCE *Diss. de iure singulorum controuerso. Lips. 1755.*



in quibus itio in partes locum habet. Quamobrem fieri potest, ut in omnibus negotiis, quae in comitiis aliisque imperii conventibus tractantur, in partes eatur, ut puta in legibus ferendis et authentice interpretandis, in bello et pace decernendo, in proseriptione Principum Imperii. Saluberrime autem id ipsum constitutum fuisse inde intelligitur, quia religio in Germania, libertas et salus Principum arctissimo cohaeret vinculo, atque in his ipsis salus vniuersi imperii simul versatur, ut iactura vnius alteriusve simul ruinam totius imperii procurare videatur. Quae quidem de triplici causarum genere suffragiorum decisioni exempto in vniuersum sufficiant. (5)

(5) Ad triplex istud genus illustrandum, subiungam quorundam virorum doctorum explicationem. GOTTF. HOFFMANN in *Analsi Pacis Westph.* p. 31. num. 611. bit, inaequalitatem etiam ratione pluralitatis votorum sublatam fuisse, ut sola amicabile composio lites dirimat:

- 1) in causis religionis
- 2) in omnibus aliis negotiis, ubi status tanquam vnum Corpus considerari nequeunt,

<p>In causis religionis et In omnibus aliis negotiis, ubi status tanquam vnum Corpus considerari nequeunt ut etiam Catholicae et Augustanae Con- fessionis statibus in duas partes euntibus</p>	<p>non atten- datur vo- torum pluralitas</p>
---	--

STECHEVS in *diff. citata* §. 36. p. 44. hanc exhibuit explicationem: Igitur

3) ut etiam Catholicis et Augustanae Confessionis statibus in duas partes euntibus.

ICKSTADIVS *Diff. de causis religionis a iure suffragiorum maiorum. exceptis Opusc. T. II. num. III.* tres species statuit, easque sex propositionibus esse comprehensas, tribus quidem negantibus et totidem affirmantibus ait secundum hoc schema:

<p>In causis religionis et In omnibus aliis negotiis, ubi status tanquam vnum Corpus considerari nequeunt ut etiam Catholicis et Augustanae Con- fessionis statibus in duas partes euntibus</p>	<p>sola ami- cabilis compositio lites divi- nat.</p>
---	--

haec publica imperii lege fundamentali sancitum est:

C

a) ubi.



At enim, si sanctionem illam vniuerso ordine contem-  
plamur, duplex eius mens est. Primum quidem regula statui-  
tur tertia propositione, vt liceat vtrique religionis Corpori in  
partes ire in omnibus ac singulis caussis caussarumque generibus  
ad communem consultationem delatis. Atque haec est itio in  
partes, quae iure data ac permiffa in singulis caussis, facti est et  
voto communi alteri Corpori declaratur. Deinde duo caussa-  
rum genera ipfo iure femper et vbique deciffioni fuffragiorum  
eximuntur, vt ipfa lege, etiam fine itione in partes, cefset voto-  
rum pluralitas, nimirum cauffae religionis et negotia in quibus  
Status, tanquam vnum Corpus confiderari nequeunt. Vtrum-  
que vberius explanabo. Primum de itione in partes dicam,  
quatenus facti est, deinde harum exemptionem, quae iuris sunt,  
naturam inueffigare ftudebo.

§. IV.

*De pleniffima eundi in partes libertate vtrique religionis Corpori data ac permiffa.*

I) *In ipfis rebus, cauffis, negotiisque Inffrumento Pacis Art. V. §. 52. com-  
plexis.*

Cum placeret reipublicae Germanicae conditoribus no-  
vum plane conffituere remedium, quo et religionis feccuritas  
praefla-

a) *vbicunq; conueniant ex vtraque  
religione Imperii Ordines, delibandi  
et concludendi imperii confficiendi cauffa*  
b) *votorum pluralitatem non attenden-  
dam effe,*

- 1) *quotiefcunq; et quibuscunq; in  
negotiis fuae cauffis Imperii com-  
munitus eueniat factum f. cafus,  
quo Catholici et A. C. Status in  
duas inueniunt partes, ac deinde*  
2) *in pertractandis certis cauffis.*  
aa) *cum fpecificis:*  
*(vtpote, in cauffis religionis)*

bb) *rum generice expreffis  
omnibusque aliis negotiis, vbi  
Status tanquam vnicum cor-  
pus confiderari nequeant.*

Iekftadianam explicationem aliis et per-  
fpicuitate et rerum ambitu antecellere  
puto. Duplex enim omnino vis fanchio-  
nis est, vna quidem, qua imperio ciuili  
et vectorum pluralitati omnes cauffae  
triplici ifto genere comprehenfae exi-  
muntur; altera autem, quo modus di-  
rimendi lites et definiendi negotia ftatui-  
tur.




praestaretur, et noua ratio tuendae Principum libertatis fundaretur, sapientissime simul cautum fuit, ut penes ipsos Imperii Germanici Ordines iudicium esset et existimatio, an? et quatenus? remedio illo opus videatur. Hanc itaque merito dixeris sacram libertatis anchoram, hoc firmissimum reipublicae Germanicae fulcrum, hoc aeternum vi et potestati iniustae oppositum repagulum. Ipsa lex, nullis limitibus circumscripta, fancit:

VT ETIAM GATHOLICIS ET AVGVSTANAE CONFES-  
SIONIS STATIBVS IN DVAS PARTES EVNTIBVS.

Efficitur inde, ut plenissima eundi in partes vtrique religionis Corpori data sit libertas. Regulam igitur stabilire possumus, licere vti in partes itione in omnibus ac singulis caussis, tam ipsa lege suffragiorum numero exemptis, quam per hanc ipsam rationem eximendis, ut res negotiumue ad amicam transactionem reducatur.

Quae quidem libertas egregie conuenit indoli Germanorum, qui regi, non cogi amant, atque si Principes posueris, qui vniuersam simul tractant rempublicam, aequum est, ut ne pars inuita et reluctans ad id ipsum adigatur, quod a salute reipublicae abhorrere videtur. Etenim inde odium et discordia, flamma ac bellum, detrimentum ac ruina communis patriae oritur. Principes Germaniae, populorum potentium et fidelium Rectores, nec possunt nec debent cogi et ne legitimo quidem modo. Abhorret hoc a natura Germanorum, praesertim a Principum Germanicorum libertate, iure et potestate. Quamobrem non sapientia solum diuinitus data fualit, sed salus ac necessitas reipublicae Germanicae expressit itionem in partes eiusque libertatem, ut dubitem, an melius et ad ciuitatem nostram accommodatius excogitari potuerit remedium, quo salus reipublicae et concordia Principum suslineretur, quanquam





ipsam ciuitatem in partes scindere videatur. Id ipsum autem non fieri, sed tantummodo suffragiorum lationem impediri, vt transactioni locus detur, supra iam diximus. Deinde plenissimam illam eundi in partes libertatem ideo etiam constitui oportuit, quia Principum Germaniae est de se et salute sua suorumque populorum felicitate iudicare. Saepae igitur olim factum est, vt Principes suffragiorum numero victi, vi et armis obtinerent, quod sponte dari et concedi fas erat. Hanc itaque praestat itio in partes vtilitatem, vt omnis vis in negotiis imperii cesset et caussae bellorum internorum amputentur.

Primum illa libertas eundi in partes plenissime obtinet in caussis religionis, quibus quidem omnes eas comprehendi puto, quae aut ad libertatem conscientiae, aut ad cultum religionis, aut ad regimen ecclesiae intra fines cuiusque territorii, aut ad iura vtrique religioni in regimine vniuerso erga se inuicem data, aut ad propriam ecclesiae Euangelicae naturam et praerogatiuam, quo modo cunque, directe et indirecte, pertinent. Hoc enim ambitu dimetiendas esse religionis caussas, vniuersa Pacis Westphalicae sanctio, acta imperii et ecclesiae publica, et ipsa Germaniae obseruantia docent. <sup>(1)</sup> Quamobrem calum-

niosa

(1) INSTR. PAC. Art. V. §. 9. cauet: Pluralitas autem votorum in caussis religionem, siue directe siue indirecte, concernentibus, nequaquam attendatur, neque illa Augustanae Confessioni additis ciuilibus eius loci magis, quam Aug. Confessionis Electoribus, Principibus et Statibus in Imperio Romano praediectis. Quodsi Catholici pluralitate votorum in his vel aliis quibusuis negotiis in praediectum August. Confess. ad Electorum abutantur, reuersatum his ipsis esto vigore huius transactionis ad

introducendam alternationem quinti senatoris secretioris aliaque legitima remedia prouocare. Quanquam hic locus de singulari specie tractat, patet tamen, quo ambitu caussae religionis dicantur. Mentem huius sanctionis vberius exposuit GOTTL. SCHMIDT *diss. periculum nationis ciuitatis imperii ratione religionis mixtae*, Goett. 1779. 4to. et ESTHERVS *de non attendenda votorum pluralitate — in ciuitatibus imperii mixtis*, Tubingae 1784. 4to.



niosa est sanctionis interpretatio, qua limites, praeter mentem legis, tot ponuntur, vt facile fiat, totam interuertere legem. (2)

Deinde haec libertas eundi in partes in iuribus singulorum obtinet, etiamsi reliquorum non interesse videatur. (3) Quo quidem genere etiam Recursus ad Comitata, consultationibus

C 3 super

(2) ICKSTADIVS *diff. de causis religionis a iure suffragiorum maiorum exceptis* §. XV. statuit suffragiorum latione definiti oportere, si aut de noua religione recipienda, aut de veteri cultu abrogando, aut aliis magni momenti negotiis circa religionem quaeratur, deinde in quibus causis exemptionem admittit, tot limites ponit, vt non interpretari, sed calumniare legem videatur. Meum hoc loco non est haec omnia refellere, atque HOFFMANNVS *diff. de voto Evangelicorum communi* §. XVII. XVIII. et FRANCKIUS *diff. de iure singulorum controuerso*, praecipua eius rei momenta iam attigerunt. NELLEVS *in diff. de Origine et Progressu Corp. Euangel.* cap. III. §. 7. ait causas religionis vel ad caesarem, qua supremum, vel omnium imperii legum, ita praecipue Pacis Westphalicae executionem, vel ad Comitata Corpusque regni sine differentia pertinere, ne totum Imperii *corpus* corrumpere pacisque publicae tantis curis erectae munimenta infringi experiatur incluta natio. Quod quantopere a vero abhorreat, nemo non videt, in ordinem autem totam rem redegit PRAESES *de Plen. Pot. Caes. Part. II. Sect. I. c. I.* in *TR. de Aduocacia Caes. p. 69. seqq.* supplementa dedit.

(3) In hoc genere insigne iuris pu-

blici vniuersalis momentum laet, an? et quatenus? populus in se consideratus et erga imperium ciuile relatus, singulorum iura tueri, iniuriamque singulis reipublicae membris illatam vindicare, inferendamque propellere possit. WESTPHAL V. CL. *progr. de iure singulorum* (Halae 1757. 4to) id ipsum quaesiuit, exposuitleque, sed SCHLETTWEIN VIR CL. in libro: *Die Rechte der Menschheit* grauius more suo id etiam subinde admonuit, inprimis tamen §. 264. ait: *Der Regent darf also nicht nach seinem willkürlichen Geddanken die Grund-Gewalt anwenden, sondern ist vollkommen verpflichtet, allen offenbaren Mißbrauch derselben zu unterlassen. Ist ein offener Mißbrauch davon da, so hat der Staat das höchsten Rechte, seine Grund-Gewalt, oder seine gesellschaftliche Force, die nur Instrument zum Haupt Augenmerk des Staats, nicht Instrument zum offenkabren Verderben desselbigen seyn soll, diesem Mißbrauche zu versagen, oder zu unterdrücken, und deren richtigen Gebrauch wieder herzustellen.* Non possum non hujc sententiae subscribere, sed in omnibus fere ciuitatibus maximae difficultatis est id ipsum exequi, in Germania autem ad hunc finem obtinendum itio in partes fuit constituta.





super iure partium institutis, comprehenderem. Exempla non promam, sed constat, vsu etiam imperii firmatum atque a iuris publici prudentibus demonstratum fuit, fieri posse, vt iura vnus alteriusue, urgente necessitate, ex plenitudine potestatis, interposito Ordinum Imperii consensu, minuantur aut intervertantur salutis publicae caussa. (4) An id ipsum itione in partes impediri possit, quaerò. Meo quidem iudicio ipsi plenitudini potestatis, urgentibus adeo imperii fatis et ruinis, remoram iniici posse per itionem in partes nullam dubitationem habet. Ordinum enim iudicium et conclusum praecedat necesse est, si ex plenitudine potestatis aliquid fieri debet, id ipsum autem cessat, itione in partes interposita, sequitur itaque, vt ipsa plenitudo potestatis per itionem in partes inermis reddatur et cesset. (5)

Tandem etiam in omnibus consultationibus ad vniuersam imperii salutem pertinentibus iudicium Principum et Ordinum Germaniae liberrimum est, vtrum rem negotiumue suffragiorum

(4) cf. PRAESIDIS Opus de Plen. Pot. Caesareae Part. II. Sect. III. p. 73. seqq.

(5) BIENERVS PRAESIS c. I. id iam admonuit P. I. p. 242. vberius tamen P. II. p. 40. his verbis declarat: In diesem Augenblick, da beide Religions Partheyen sich sondern und zwei einander entgegengesetzte Körper formiren, wird die Form Teutschlandes und der Monarchie zwar nicht ertödet, aber es fällt das Reich, in Ansehung des streitigen Punktes, in eine gesetzmäßige Anarchie, die Mehrheit der Stimmen höret auf, die höchste Gewalt ruhet, wird unwirksam, der oberste

Richter, die Majestät, ist blos Mittler zur gütlichen Beylegung des Streits und beide Religionspartheyen seyn, in Rücksicht auf den streitigen Punkt, ganz unabhängig von aller bürgerlichen Gewalt und Oberherrschaft. Die Partheien selbst seyn einander vollkommen gleich, sie fallen in den Stand freier Völker und gemeinschaftlicher Bundesgenossen, doch zum Heil Teutschlandes mit dieser Einschränkung, daß beide Partheyen gegen einander kein Rechts der Waffen und der Gewalt haben, sondern gütlicher Vergleich, oder es bleibt beim Alten, seyn die Grenzen, welche die Gesetzgebung in diesem Falle weislich vorgeschrieben.



rūm latione definire, an placeat itione in partes vti, vt aequabili et amicabili modō eius rei negotiū fiat definitio. (6) In quo quidem genere, id quod adhuc prudentissime obseruatum fuit, ipsa huius remedii natura suadet, vt parcius adhibeatur. Cum tamen hac de re meum non est iudicare, libertatem defendisse sufficiat.

§. V.

*De plenissima eundi in partes libertate vtrique religionis Corpori data ac permiffa;*

II. *In ipfo itionis in partes interponendae modo.*

Alterum quod in libertate eundi in partes exponi debet, est modus interponendae itionis et declarandi votum commune alteri Corpori, vt suffragiorum latio aut impediatur aut iam latorum vis et auctoritas sistatur. Sanctio legis modum et formam non definiuit, ideoque a libero vtriusque Corporis iudicio arbitriue pendet, an? et quando? vti velint hoc remedio, si modo negotium nondum perfectum, nec ab omni parte consummatum est. Negotia enim perfecta et Imperatoris atque Ordinum consensu consummata, rescindi non posse, nisi omnium, quorum interest consensu, manifestum videtur. In tali enim negotio et totum imperium et reliqui omnes, quorum consensus interuenit, ius quaesitum habent, quod quidem per

(6) Olim de hoc genere acerrima fuit contentio, tandem tamen veritas euasit victrix. MOSERVS in *vermischten Schriften* num. 4 p. 502 exposuit *von dem wahren Verstande der Worte des Instr. Pac. Art. V. §. 52* STRUBENIVS recto nomine, scripsit: *B. weiß, daß das ius eundi in partes auch in causis*

*politicois statt habe* (1759. 4to.) ICNSTADIVS *diff. de causis in quibus in partes iur a iure maiorum exceptis Opuse. Vol. II. num. IV. cap. II. §. 3. et 8.* pluresque alii id ipsum agnoscunt, vt nulla hodie dubitatio superesse videatur.



per itionem in partes adimi non potest. <sup>ne</sup> itaque libertas eundi in partes eousque obtinet, quousque Conclufum Ordinum nondum confectum et ab omnibus approbatum fuit. Tandiu enim tenere confultationes et deliberationes, et licere fuffragia iam lata repetere, manifefiffimi iuris est, ex quo fequitur, vt etiam totum Corpus fuffragia fmgula repetere et voto communi itionem in partes alteri Corpori denunciare valeat, neque referre puto, vtrum initium eius rei fiat, in vno, an in duobus, tribus Collegiis fimul. Quamobrem fi fuffragia quidem in re ancipiſi lata fuerunt, fed ius repetendi fuffragia mutandique ſententiam et retractandi opinionem, fuerit referuatum, vt relatione ad ipſos Principes facta et mandato ſubſe- cuto demum perfecte ſtatuatur, quid cenſendum dicendum- que praecipitur; itioni in partes adhuc locum dari oportere exiſtimo. (1)

Quaeſitum fuit, vtrum concordi omnium eidem Corpori addictorum conſenſu itio in partes interponenda, an plurium fuffragiorum numerus inter eiusdem religionis conſortes ſuffi- cere videatur. Quod cum lege definitum non eſt, mira pepe- rit ſententiarum diuortia; Catholici vnanimi fere ore pronun- ciant, non intelligi itionem in partes, niſi vtriusque religionis Procereſ plane ſeparentur et concordi omnium eiusdem Cor- poris membrorum ſententia de itione in partes adhibenda ſta- tuatur, (2) contra Euangelici, noſtra ſaltem memoria, aliam tuentur

(1) cf. ILLVSTR. PÜTTERI *Inſtit. Iur. Publ.* §. 178. GEN. DE SELCHOW *Elem. Iur. Publ.* §. 240. et 241 et FRAN- CKIUS *de Comitibus Imperii* p. 42 ſeqq.  
(2) Hanc ſententiam tuctur ICK- STADIVS *Opuſc.* T. II. num. IV. cap. II. §. 17. RIEFFEL *diſſ. de modo agendi*

*in cauſſis, in quibus ſtatuſ in duas par- tes eunt, Wirceburgi 1768,* et apud SCHMIDIUM *Theſ. Iur. Eccl.* T. IV. num. XVIII. idemque in *kritiſchen Staatsrechtsabtrungen* num. I. cui accedit SCHMIDIUS omnesque fere Catholici. Primum quidem Corpus Euangelicum eſſiſtere



tuentur sententiam, iisque etiam casibus itionem in partes fieri posse contendunt, quibus aut vnus alterue ab vniuerso religionis suae Corpore dissentit, aut contrarias adeo partes sequitur. (3) Quam quidem sententiam veriorcm puto. Primum enim natura Corporis collegiue exigit, vt voluntas Corporis suffragiorum numero constituatur, deinde in omnibus imperii conuentibus, in quibus de voluntate communi declaranda agitur, plurium voluntatum auctoritas voluntatem communem definit,


exsilere negant, vt argumentum ex naturali iure petitur infirmetur. Sed TREVERVS, MOSERVS alique id iam extra dubium posuerunt. Optima autem defensio pro Corpore Evangelicorum an. 1720. scripta, exstat apud SCHAVROTH T. II. p. 791. Mirum mihi inprimis videtur, quod optimi religionis Catholicae scriptores ad Decretum Casareum an. 1720. die 12 Aprilis datum hodieque prouocant, quam imbecille enim inde petatur argumentum, dicere nolo. Deinde ad acta imperii prouocant ipsasque leges, quibus Catholici et Evangelici in partes ire dicuntur, eoque verbo omnes comprehendi contendunt. Omnes quidem comprehendi non nego, sed inde non efficitur, vt omnium consensu ad itionem in partes interponendam opus sit. Hoc nullam definitur, sequitur igitur, vt naturali iure et analogia iuris publici haec ipsa res definiatur. Atque id ipsum, quod supra posuimus, exigit vnus et obseruantia. Pax Religiosa an. 1532. Norimbergae inter Catholicos et Evangelicos sancita, antiquissimum praeber exemplum. Philippus enim Hassiae Landgrauus, qui tamen pars magna Euan-

gelicorum erat, dissentiebat ipso Recessu §. 10. recte neque tamen non transactio inter Catholicos et Evangelicos fuit inita. Tandem argumentum petunt ex INSTR. PAC. Art. V. §. 35. Primum quidem nego argumentum procedere a iudicio imperii, quod causas partium tractat, ad conuentus regionis vniuersi causis institutos, in quibus de salute totius imperii agitur, deinde si comparaueris hinc locum §. 9. §. 52. quibus itio in partes statuitur, intelliges, §. 55. exceptionem statui, ideoque regulam ex mente Paes Westphalicae esse statuendam, itionem in partes ex plurium membrorum consensu factam esse legitimam.

(3) Haec sententia optime defenditur scripto hoc: *Commentario de eo, quod iustum est circa secessionem in partes 1767. fol.* Plura dabit FRANKVIUS ad Malconium Lib. V. c. VII. §. 31. Eandem materiam nuper tractauit ROSSELT in *Comment. vtrum ad vota communita, per quae fit discessio in partes, unanimia membrorum corporis, an plurima tantum suffragia requirantur?* (Koblae 1783. 8uo.)

D





definit, ideoque efficitur, vt etiam Corpora religionis et naturali lege et analogia iuris publici voluntatem seu votum commune per plurium membrorum consensum declarare possint. In negotiis quidem, in quibus in partes itur, cessat suffragiorum pluralitas, id tamen ad ipsam in partes itionem proferri non debet. Neque alia mens in constituendo hoc iuris publici remedio esse potuit. Itionem enim in partes per conspirationem et conclamationem omnium eidem religioni addictorum statuere, ita vt totum remedium, vnus dissensu et secessione impediatur, id sane a natura Corporis abhorret et ipsa illa Conditorum Pacis sapientia ac prudentia. Propter naturalem enim hominum ad dissentendum lubidinem facile fieri possit, vt totum remedium reddatur inutile. Tandem etiam vsu et obseruantia vtriusque Corporis haec nostra sententia dudum recepta fuit.

Mota tandem fuit et in varias partes agitata quaestio, quinam sint et dicantur Catholici, quinam Evangelici. Olim quidem ex persona et religione eorum, quibus territoriorum iure suffragiorum latio in Comitibus competit, totam hanc quaestionem definiendam esse, nemo dubitabat, sed nostra memoria tres opiniones inualuerunt, vna quidem eorum est, qui Statum imperii eiusque religionem et suffragium non ex persona, sed ex re territoriae iudicandum censent, <sup>(4)</sup> altera autem statuit, penes Principem esse, cui Corpori nomen addicere velit, <sup>(5)</sup> tandem sunt, qui ex pristino iure et naturali ratione censent,

<sup>(5)</sup> Quam sententiam tuctur DAN. HOFFMANN *de voto Evangelicorum communi* §. 11. Schol. II. Singulari scripto autem excoluit FR. MEISTER *Versuch einer Bestimmung der Grundsätze, wonach die Religionsbeschaffenheit der*

*deutschen Reichstagsstimmen am richtigsten zu beurtheilen sey.* Gött. 1780. 8.

<sup>(5)</sup> Hanc sententiam proposuit CARL L. B. DE EBERSTEIN in scripto supra §. 1. nota 3. excitato, quanquam alii eandem sententiam iam defenderunt.



consent, Statum eiusque suffragium ad illud religionis Corpus pertinere, cuius professionem sequitur, (6) nisi exceptio doceatur. Ad nostrum tamen locum vberior huius rei disquisitio non spectat, ideoque accuratiorem eius tractationem non instituo. Mihi tamen in hoc genere id etiam peccare videntur, quod domini nullam rationem habent, quod Principibus Imperii in territoriis suis eorumque iuribus competit. (7)

## CAPVT II.

*De Effectibus itionis in partes caussisque ipso iure pluralitati  
votorum exemptis.*

### §. VI.

*De effectu itionis in partes et quid pendente itione iustum sit, disquiritur.*

*I) Intuitu caussae, super qua itio in partes facta fuit.*

Interposita in partes itione, quid iustum iniustumue sit, quaeritur. Lex sancit:

SOLA AMICABILIS COMPOSITIO LITES DIRIMAT,  
NON ATTENTA VOTORVM PLVRALITATE.

Quae vis et potestas his verbis subiiciatur, tam ex ipsis verbis, quam ex mente sanctionis intelligitur. Cessat primum suffragiorum latio, si votum commune ante declaratur, quam in suffragia itur, deinde sistitur suffragiorum iam latorum vis et auctoritas. Atque hanc esse legis mentem, vt liceat eo effectu


D 2

vtri-

(6) Praeter alios nouissime id asseruit: ANTON MERTENS *Von dem Religionsverhältniſſe der deutschen Reichstagsstimmen.* Wien 1784.

(7) De natura et indole huius domini exposuit PRAESES *libris II. Halae 1780. §uo.*





utrique Corpori ad declinandum imminentem laesionem, itione in partes vii, ipsa verba declarant. Praecipit enim lex, vt interposita in partes itione, non attendatur votorum pluralitas, et sola amicabile compositio lites dirimat. Conditores legis etiam eum intelligere casum, quo suffragia fuerunt lata et vna pars iam deum sentit, se numero alterius partis vinci, ipsa verba indicant. Quamobrem facta iam suffragiorum latione, in consilia ire et vôtum commune alteri parti declarare licet, vt sistatur negotium et ad amicam transactionem reuocetur. Alter effectus hic est, vt suspendatur imperium ciuile atque ipsius maiestatis auctoritas quiescat, pendente in partes itione. Totius ciuitatis compages non quidem dissoluitur, sed exoritur duntaxat quies legitima in modo tractandi negotia ordinario. Placuit enim conditoribus reipublicae nostrae indulgere vtrique religionis Corpori ius suspendendi regimen ordinarium per itionem in partes, salua tamen reipublicae et vniuersae ciuitatis forma, et reuocandi consultationes negotiorumque tractationem ad modum proprium de Corpore ad Corpus. Itaque hic modus ei, qui in Comitibus obtinet quodammodo surrogatur, vt cessante suffragiorum latione aequalitas in regimine ciuitatis vniuerso obtineatur. Atque inde sequitur tertius effectus, vt lis, causa et negotium amicabile compositioe definiatur. (1)

Itaque

(1) Formam vniuersam non cessare per itionem in partes, docet INSTR. PAC. Art. V. i. atque id ipsum Euangelici sapientis testati sunt apud SCHAUBOTH T. I. p. 276. seqq. aliisque locis. Itaque tantum abest, vt hoc reuocatum odiosum et stricissimae interpretationis sit, vt potius ad formam imperii conferendam et internam reipublicae salutem tuendam accommodatissimum vi-

deatur. Quare accedere non possum RIEFFELIO *diff. de modo agendi in causis, in quibus status in duas partes eunt*, §. XXXIII. qui itionem in partes formae imperii stiloque et ordini comitiorum summopere aduersari et vnitati imperii derogare, ait. Quod equidem iudicium de remedio salutis publicae causa constituto ferre nolim, vt tacitam, ipsam rem esse falsissimam.



Itaque interposita in partes itione nihil innouandum, prior rei negotiūue status sanctissime est custodiendus, possessio antiqua, prout adhuc fuit, debet manere, et quoad consultatur ac deliberatur vtrumque Corpus aequali erga se inuicem iure vtitur. Naturali quidem lege inter aequales duplex est expediendae rei modus, bellum aut transactio. At enim in Germania, quanquam vtrumque Corpus in statum aequalitatis naturalis incidit, cessat tamen omnis vis et coactio, vt ne in ruinam imperii vergat, quod salutis publicae causa constitutum fuit. Quamobrem neutra pars aut auctoritate propria rem definire definitamque alteri parti obtrudere, aut vim et arma parare debet, vt alteram partem iure et possessione sua deiciat. Quod si contingat, alteri parti ex ipsis imperii legibus data est potestas, et parandi arma et ineundi foedera exercitusque vendi, vt vis et iniuria repellatur. (2) Lex igitur sancit:

SOLA AMICABILIS COMPOSITIO LITES DIRIMAT.

Aurea sunt legis verba, quae Principum Germanicorum pectoribus inscripta, non possunt non patriam reddere felicissimam. Enimvero tanta est Principum in Germania moderatio, pacis atque salutis publicae studium, vt itio in partes legitime facta nunquam bellum pepererit, ideoque ipsa experientia teste hoc optimum tumultuum, diffidationum bellorumque interiorum praeuendendum sit et habeatur remedium. In hoc tamen ge-


D 3

nerc

(2) Ius foederum et belli ad se et iura sua defendenda obtinuit in Germania ab antiquissimis temporibus, legibus autem nouis confirmatum sui INSTR. PAC. Art. XI. et a Corpore Evangelicorum an. 1720. recte vindicatum apud SCHARROTH T. II. p. 785. NELLERVS *diff. de Origine, Progressu et Iuri-*

*bus Corporis Evangelicorum cap. III. §. 1. id ipsum agnoscit. Quam sancta autem cuiusuis iura et possessio in Germania esse debeant, docet PAX IMP. PVBL. an. 1548 §. 1. PAX WESTPH. Art. XIII. §. 1. REC. IMP. NOV. §. 123.*





nere plenissima vtrique Corpore data est libertas, vt, quae in vniuersum natura est amicabile compositionis, etiam in negotiis de Corpore ad Corpus tractandis valeat, neque vlla ab alterutra parte vis et coactio adhibeatur. (3)

Litem et causam, quae discessioni in partes praebuit occasionem, Sola amicabile compositio dirimat. Quod quotuplici modo fieri possit, videamus. Duplex in eundem transactionis esse potest ratio. Primum quidem sufficit saepius, vt nouatio et metuenda iniuriam laesio impediatur, negotio in priorem iuris et possessionis statum reducto, puta si collegio Comitum Franconicorum natura collegii pure Evangelici et voti, quam quidem olim sine controuersia habuit, possedit et exercuit, in dubium autem vocata fuit, restituatur; qui primus modus saepe maxima cum vtilitate fuit adhibitus. Deinde etiam fieri potest, vt aut propter incertitudinem ipsius rei aut propter pacis amorem et concordiae studium, remisso aliquo vel retento transigatur, veluti, si collegium Comitum Westphalico- rum in mixtum commutetur ex indulgentia Evangelicorum et pacis atque salutis publicae studio, nouusque plane modus ex-  
cercendi

(3) Transigendi libertatem confirmat INSTR. PAC. Art. V. §. 1. §. 9. §. 50. §. 52. Neque examen causarum alteri parti competere palam est. Hoc enim foret aduersarium constituere iudicem, quod quantopere a natura transactionis abhorreat, ex ipsa re intelligitur. Quare ICKSTADIVS *diff. de causis, in quibus in partes itur* — Opusc. T. II. p. 262. false iudicat, idque libertati Ordinum repugnare et ad vim pertinere puto, quod § XXXIII. his verbis complectitur: *conficimus, quod parti minori Statuum Imperii in partes cuncte, nec tamen ra-*

*tiones sui discessus demonstrare volente, pars maior conclusio suo firmiter inhaereat, idemque iniuris etiam, atque recalcitrantibus paucioribus exequatur, in re siquidem sic vititur suo ex legibus fundamentalibus legitime quaesito. Id quod tunc quoque obtinebit, si instituto in comitiis rationum a parte minori allatarum impartiali examine, pars maior nullius eas momenti, aut saltem debitis suis requisitis destituta esse, ad oculum, et perspicue adeo ostenderit, vt de eorundem insufficientia nemo prudens dubitare queat.*



erecendi suffragium constituatur. (4) Itaque fieri potest, vt transactione inter vtrumque religionis Corpus inita, pristina imperii forma in singulis partibus aut confirmetur et extra omnem dubitationem ponatur, aut mutetur, quatenus dubia et ambigua vel saltem in dubium vocata fuit. Ius enim definiendi et commutandi formam imperii in singulis partibus, in quibus aut ambigua fuit aut in dubium vocata, vtrique religionis Corpori denegari non posse, et natura amicabile compositionis suadet, quae saepe aliter fieri nequit, nisi dato aliquo vel retento, et ipsa Pacis Westphalicae sanctio docet. (5) Itaque patet in hunc modum itione in partes et subsecuta transactione tam confirmari quam emendari posse formam reipublicae in re et caussa particulari.

§. VII.

*Ultior de effectu itionis in partes disquisitio;*

II.) *Intuitu imperii et regiminis tam particularis quam vniuersalis.*


Diximus itaque per itionem in partes exoriri quidem statum imperii extraordinarium, remoram iniici ipsi adeo maiestati

(4) Neminem fugit, quantam litem inter vtrumque religionis Corpus mouerit quaestio, de vera indole et natura suffragii Comitum Franconicorum et Westphalicorum. Historiam et litteraturam dedit L. B. DE EBERSTEIN in libro supra §. I. laudato, p. 99 seqq. et IOHANN AVGVST REVSSE in *der deutsehen Staatsverzeley.*

(5) INSTR. PAC. Art. V. §. 50. cayerur: Si dubii quid hinc aut aliunde incidat, aut ex causis Pacem Religiosam, aut hanc Transactionem tangentibus resultet, de eo in comitiis vel aliis Imperii conuentibus inter vtriusque re-

ligiones Procures, non nisi amicabile variatione transfigatur. Quam late pateat formae mutatio docet HENNIGES ad I. P. Sp. V. p. 738. in singulari casu. Neque enim, inquit, negari potest, formam reipublicae successione Neoburgici in locum Electoris Protestantis quadammodo affectam esse, minori nunc multo auctoritate Protestantium in Collegio Electorali, quam antea, quod tamen Collegium vti insignis ipsius formae et regiminis publici pars est, ita omnis fors aut euentus fortuitus etiam, quo temperatura eius alteratur, non potest non in ipsa forma aliquam mutationem parere.





stati et plenitudini potestatis, nec tamen formam imperii aut mutari aut vincula, quibus cohaerent omnia, disrupti; quales autem effectus itio in partes in ipso imperii regimine habeat, videamus. Primum quidem monendum est, duplex esse Germaniae regimen, vnum quidem proprium Imperatoris plenitudine potestatis ipsi per legitimam electionem delata, partim in referendis eorumque exercitiis, partim in iudiciis imperii conspicuum, licet non negauerim, etiam in hoc genere partes esse Ordinum regni, quas tamen hoc loco commemorare non vacat, alterum autem commune, quod semper adhibitis in consortium Statibus exerceri debet atque omnino latissime per omnem Germaniam manat. (1)

Quaquam itio in partes in omnibus imperii conuentibus fieri potest, hoc tamen loco comitia pono inque iis interpositam fuisse itionem in negotio aliquo, quod communi Statuum consensu expediri et auctoritate Imperatoris confirmari debet. Quaeritur quousque effectus eius in Imperio Romano-Germanico porrigantur. Primum quidem ad regimen imperii particulare discessionem in partes non pertinere, manifesti iuris est. Hoc enim ab Imperatoris auctoritate pendet eiusque nomine exercetur, sequitur igitur, vt impedimento in comitiarum consultationibus per discessionem Statuum exorto, id ipsum efficere non possit, quo minus auctoritate Caesarea omnia maiestatis iura exerceantur, quae consensu comitali non egent. Atque id ipsum etiam vsus et obseruantia docet, simulque inde firmissimum promittitur argumentum, vnitatem reipublicae itione in partes non dissolui. Ciuitas enim, in qua omnes leges vigent, in qua exerceantur iudicia, cuius Caput et Princeps auctoritate et maiestate in suis iuribus vitur, ciuitas, inquam, talis non est dissoluta, non est in partes scissa, qui autem anarchiam ex itione

(1) cf. BIENERVS *de Plen. Pot. Caesareae.*



in partes oriri contendunt, aut calumniantur ius publicum, aut non satis accurate, quam anarchiam dicunt, explicant. (2)

Quod vero ad comitia attinet, quatenus populus vniuersus, eiusque nomine Imperii Status ibidem congregati sunt, sistuntur omnino et in duas abeunt partes, ita vt regimen imperii commune ob defectum Ordinum consensum necessario quiescat. Queritur autem, vtrum comitia plene dissoluantur, vt cesset et suspendatur omnis negotiorum ad comitia ablegatorum consultatio, an haec vna lis et causa, in qua itio in partes fuit interposita, imperio ciuili et communi consilio duntaxat eximatur. Non equidem acta imperii discutiam, vt inde eruatur obseruantia rei legibus non definitae, sed sententiam dicam meam ex iure publico, magis disputationis, quam definitionis causa. Hoc enim meum non esse, probe commemorini. Inspecia rei natura, abeunt quidem Ordines regni in duas partes, sed non dissoluant comitia auctoritate Imperatoris congregata. Quamobrem intelligitur tenere comitia, etiamsi itio in partes in vno alterone negotio fuerit interposita. Finis itionis in partes est, vt suffragiorum latio sistatur et hoc ipsum negotium ad amicabilem compositionem reuocetur, sequitur itaque, vt id ipsum ad reliqua negotia plane non pertineat. Itaque intelligitur, nihil impeditenti ex discessione in partes oriri, quo minus reliqua negotia moribus maiorum in comitiis tracten-

(2) Ex hoc loco praefertim leges imperii explicandae, quae ab aduersariis allegari solent, quibus soli Imperatori cunem in Germania potestatem vindicare student, vt pateat e contrario itionem in partes formae imperii repugnare. Est enim et manet vnum caput Imperii et vna respublica, pendente itione in partes, ideoque auctoritate Imperatoris exercentur imperii iudicia, neque

quicquam maiestati decerpitur. Falsissime itaque ICKSTADIVS Opus. T. II. p. 230. ait: *Lus illud, quo parti minori illimitata in partes eundi coque conclusa irritandi facultas tribuitur, meliorem longe titulo excidii Respublicae nomen sibi vindicare, utpote ex quo non possit non civitatis ruina consequi, atque omnis, qui inibi viget, haecensque fuit bonus ordo subverti.*

E



tractentur. Ipsa Pacis sanctio ait; SOLA AMICABILIS COMPOSITIO LITES DIRIMAT, sed non praecipit, vt omnis comitorum et negotiorum vigor cesset. Deinde repugnare id ipsum videtur menti Pacis Westphalicae. Itio in partes ob salutem publicam fuit introducta, non autem, vt languor regimini inferatur et totius Imperii salus impediatur aut minuatur. An argumentum ex discessione iudiciorum in partes peti possit, quaerere nolo. Haec enim ob itionem in partes non cessare, sed causam ad comitia remitti oportere, palam statuitur. (3) Ex quibus quidem intelligi posse arbitror, reliqua imperii negotia, in quibus nulla in partes itio facta fuit, salutis publicae ergo in comitiis, pendente in partes itione, tractari posse.

Neque tamen non exceptiones quasdam regulae propositae admiserim. Primum quidem deliberationes omnes quiescere puto, si itio in partes super tali quaestione fuit mota, a cuius decisione, tanquam a praecudio, omnis negotiorum tractatio suspenditur. Ex natura enim eius rei patet, hic sisti oportere comitia, omniumque negotiorum consultationes interrumpi. Deinde etiam fieri potest, vt istud Corpus, quod itionem in partes interposuit, derectet omnium negotiorum consultationes, et veluti iure retentionis vtatur, vt alterum Corpus ad maturandam transactionem compellatur. Quamobrem si negotia, pendente in partes itione, tractari debent, necesse est, vt vtrumque Corpus libere consentiat et vigorem Comitiorum restituat, interueniente tamen Imperatoris auctoritate, (4) quod quidem

(3) INSTR. PAC. *Art. V. §. 55.*

(4) Exemplum illustre exstat apud SCHAVROTH *T. II. p. 831 seqq.* Memorabile etiam exemplum his ipsis diebus cognouimus. Comitiorum enim consultationes, quae ob itionem in par-

tes super voto Comitum Franconicorum et Westphalicorum interpositam, per plures annos intermortuae fuerant, auctoritate Caesarea et viriusque Corporis consensu, die X Ianuarii reuiscitatae fuerunt, quanquam ipsa in partes itio plene definita non est.



quidam casu nihil impedit, quo minus deliberationes instituantur, etiam si vnus alterue Statuum dissentiat. In rebus enim ad communem Imperii salutem pertinentibus, plurima obtinere suffragia, naturalis ratio suadet.


§. VIII.

*Ita in partes facti est, ipso iure autem obtinet in causis religionis omnibusque aliis negotiis, ubi status tanquam vnum Corpus considerari nequeunt.*

Duplicem esse Pacis Westphalicae sanctionem, vnam quidem, qua determinata causarum genera suffragiorum lationi eximuntur, alteram, qua facultas Ordinibus Imperii conceditur, negotium eximendi votorum pluralitati et ad amicam transactionem reuocandi per itionem in partes; supra diximus. In hoc quidem casu negotium supponitur, cuius definitio natura et lege subest imperio ciuili. Quare necesse est, vt declaratur a Corpore ad Corpus, salutare videri ac frugiferum, suspensis suffragiorum auctoritate et consultationibus, hanc ipsam rem et causam ad amica reuocare consilia. Quod quidem facti esse, votumque commune alteri Corpori legitime declarari oportere, facile intelligitur. At vero exenta sunt quaedam causarum genera ipso iure, vt declarationi voti communis et itionis in partes opus non videatur, sed omnis tractatio ac deliberatio ad vtrumque Corpus et amicam definitionem ipsa lege ablegetur. Sanctio haec est:

IN CAUSSIS RELIGIONIS, OMNIBVSQVE ALIIS NEGOTIIS, VBI STATUS TANQVAM VNVM CORPVS CONSIDERARI NEQVEVNT, — SOLA AMICABILIS COMPOSITIO LITES DIRIMAT, NON ATTENTA VOTORVM PLVRALITATE.





Vis et potestas legis haec est, vt ipso iure, tam causae religionis, quam iura singulorum in disceptationem vocata, ad amicam transactionem redigantur. Duplex proprie sanctionis mens est, vna quidem, vt eximantur hae ipsae causae semper et vbique suffragiorum lationi; altera autem, vt modus componendi litem idem sit, qui itione in partes interposita obtinet. Atque id est, quod dicimus itionem in partes in his ipsis causis ipso iure obtinere. (1)

Primum itaque omnes causae religionis semper et vbique ad amicabilem compositionem reuocantur. At enim id ipsum existimandum est ex cuiusuis religionis natura. Etenim religio Catholica, quam ob antiquitatem temporis primo loco commemorare iuuat, hierarchiae, more et lege imperii, hodieque subest, atque catenus proprios iudices veneratur propriamque regiminis formam habet. Quae cum iure publico stabilita omniumque consensu confirmata ipsam imperii formam constituunt, necesse est, vt eius mutatio totius imperii consensu fiat, non suffragiorum auctoritate, sed libero et spontaneo vtriusque Corporis consensu. (2) Quod vero ad religionem Euan-

gelicam

(1) DAN. HOFMANN *diff. de voto Euangelicorum communi* §. XX. discrimen iam animaduertit, ipsam tamen rem executus non est.

(2) De hoc capite exposuit BIENERS, PRAESES in libro: *Von der kaiserlichen Advocatie Sect. II cap. IV.* Quae hoc libro posuit principia, praeter alios amplexus est Scriptor catholicus in opere: *Nachrichten vom Zustande der Gegenden und Stadt Juyavia* — qui §. 259 p. 340. recte ait: *Der deutsche Reichskörper ist hiermit von seinem Ursprunge und gleichsam ersten Bildung*

*an aus geistlichen und weltlichen Ständen unter einem Reichsoberhaupt zusammengefügt. Jede haben ihre besondere Bezirke, Sprengeln und Gerichtsbarkeit. Und so wie jene d.r. weltlichen einen Theil der R. Fundamental-Verfassung ausmachen, weil sie durch die R. Grundgesetze bevestiget und gemähret sind; so ist auch die Freiheit der deutschen Kirche, die Hierarchie oder die Aus- und Eintheilung der geistlichen Würden, Sprengeln und Gerichtsbarkeit, oder der Status ecclesiae publicae mit in d. s. Reichssta. eingewebt und als ein ergänzen.*



gelicam attinet, post sublatam legibus imperii publicis iurisdictionem cleri et hierarchiae, intra fines cuiusvis territorii regitur independenter, vt Princeps Germaniae, tanquam Caput ecclesiae Evangelicae suae, soli Deo rationes reddere teneatur. (3) Rectura autem vniuersae ecclesiae in Germania ad Corpus Evangelicorum, tanquam societatem aequalem, pertinet, vt in hoc genere confoederatam primae ecclesiae disciplinam deprehendere videaris. (4)

Iura singulorum ipsa lege etiam suffragiis plurium exempta sunt. Diximus iam, quae sint negotia, in quibus Status, tanquam vnum Corpus considerari nequeunt, hoc genere autem duplicem speciem esse complexam puto. Primum enim huc pertinent omnia Principum iura, quae ad meum et tuum tam per se, quam in regimine territoriorum suorum pertinent, deinde eodem genere comprehendi puto omnia ea negotia, quae singulari lege a suffragiorum latrone ad amicam transactionem reuo-

E 3 cata

*gänzender Bestandtheil desselben anzusehen.* — Quae quidem omnia veritati congruere, lubens profiteor, quid tamen inde sequatur, l. c. exposuit PRAESES, qui mihi etiam opus laudatum, ipsi Archiepiscopi Salisburgensis iussu ab auctore donatum, legendum dedit.

(3) cf. HELLFREICH *diff. de independentia iuris circa sacra statuum imperii Evangelicorum* p. 3. et 4. ESTOR *in Iure Publ. Eccl. Protest.* cap. XI. praefertim IAC. MOSER *Von der Landeshoheit in Geistlichen Lib. II. c. 1.* qui plene haec executus est. Plura Corporis Evangelicorum conclusa exstant eam in rem apud SCHAVROTH T. II. p. 285.

(4) TREVER *de Comitibus Corporis Evangelicorum*, id ipsum exposuit. Elicitur simul ex isto principio, vt omnia

Corpori Evangelicorum tribuenda sint iura, quae fini Corporis, tanquam media inferuiunt, etiamsi ne verbo quidem eorum in legibus imperii mentio deprehendatur. Quae sint, in vniuersum exposuit DE SCHAVROTH *in Praef. ad Tomum III. Conclusorum Corp. Eu.* Ad finem Corporis obtinendum, saepe opus est deputatione, sequitur igitur, vt ius deputandi Corpori Evangelicorum competat, quod optimo iure etiam sibi vindicauit apud SCHAVROTH l. p. 398 seqq. argumenta autem digessit DAN HOFFMANN *diff. de Iure Corporis Evangelicorum suae religionis Deputatos imperiales seorsim eligendi* (1775. 4.) Itaque Evangelici anno 1774. in Concluso recte pronunciarunt: *Ius deputandi ex suo Corpore vel collegio.*



cata fuerunt, (5) quo quidem articulo etiam ius indicendi tributa comprehensum videtur. Sanctio legis haec est:

QVOD VERO AD PLURALITATEM VOTORVM IN MATERIA COLLECTARVM ATTINET, CVM HAEC RES IN PRAESENTI CONGRESSV DICIDI NON POTVERIT, AD PROXIMA COMITIA REMISSA ESTO. (6)

De iure tributorum in Germania multum quidem per plura secula disputatum fuit, (7) breui, quae mea hac de re sit sententia, dicam. Ex indole ciuitatum Germanicarum ius indicendi tributa, vt de praediis liberoque dominio, aut de libero corpore propriaque persona pendantur, imperio ciuili non inest. Germani enim manu consilioque Principi adesse solebant, non pecunia, tributa autem pendere non liberorum, sed feruorum et Romanorum erat. Quod quidem principium olim per vniuersam Germaniam et singulas eius prouincias obtinuit, et nobilissima libertatis Germanicae portio semper visa fuit, pro qua Saxones ad necem vsque dimicauerunt. In singulis quidem Germaniae prouinciis haec res maximam mutationem subiit, in vniuerso autem imperio, quanquam ius indicendi tributa hodie imperio ciuili inest (8) id ipsum tamen ex pristina libertate obtinet, vt nemo ad tributa pendenda teneatur, nisi ex libero

(5) cf. FRANCKE *disl. de iure singulorum coextroverso* §. X. XXI.

(6) INSTR. PAC. Art. V. §. 52.

(7) Quanta controuersiarum vis de hac re mota fuerit in Germania, annotauit PFEFFINGERVS ad *Vtr. Lib. IV. Tit. I §. 8. T. IV. p. 296. STRVV Corp. Iur. Publ. cap. XXIII ICKSTADT Historia-Exceptionum a iure suffragiorum cap. II. aliique.*

(8) Ad sunt quaedam loca, quibus id ipsum desinitur, nimirum INSTR. PAC. Art. VIII. §. 2. quo iure suffragii gaudere dicuntur status, si tributa indicenda, et CAPITVL. CAESAREA Art. V. §. 1. et 2. Itaque duplex huius iuris est relatio, vna ad imperium, qua ad iura communia refertur, altera ad quenuis statum, qui pecuniam pendere debet, qua ad iura cuiusuis quiescit perinet. Atque eatenus imperio ciuili non inest.



et spontaneo consensu. Quare in hoc articulo, uti in aliis, cessat suffragiorum ratio, eo videlicet effectu, ut etiam ii, qui dissentiant, teneantur, sed quidquid in hoc genere defini debet, libero et spontaneo omnium quorum interest consensu definiendum est, modus autem tractandi ex nouissimo imperii iure de Corpore ad Corpus obrinet, quanquam fieri potest, ut res etiam in consensu Comitiorum definiatur.

Hactenus de causis ipso iure votorum pluralitati exemptis disputauimus, interest autem, ipsa lege causa exempta sit, an itione in partes eximatur. In hoc enim casu consultationibus opus est, an itio in partes necessaria videatur, in illo autem cessat ex ipsa causarum natura suffragiorum ratio; in hoc casu Corpus erga Corpus decernere et declarare debet itionem in partes, in illo autem tali decreto opus non est; in hoc pluralitas suffragiorum in Corpore sufficit, in illo autem ii, quorum interest, sponte et libere consentire debent; in hoc casu conclusa ex plurium consensu facta omnia Corporis membra obligant, in illo autem omnis obligatio ex libero et spontaneo cuiusuis consensu repetenda est.

Quae quidem de itione in partes sufficiant, cum autem imperii ciuilibus compages non dissoluitur, regitur potius Germania auctoritate Imperatoris, sequitur, ut de officio eius, facta in partes itione, videamus.



*De Officio Imperatoris Ordinibus Imperii in partes euntibus.*

## §. XI.

*Imperatoris auctoritas et plenitudo potestatis Caesareae, pendente in partes itione, quiescit.*

Late patet Imperatoris per vniuersam Germaniam eiusque regimen potestas, quale autem ius eius sit et officium, interposita in partes itione, quaesitum et explicatum legere non commemorari, reipublicae tamen interest, vt id ipsum definitur. Equidem hoc loco de officio solum exponam. Primum quidem diligentius tenendum et inculcandum est, interposita in partes itione, auctoritatem Imperatoris et plenitudinem potestatis quiescere. Auctoritas enim Imperatoris in regimine Germaniae vniuerso, consensum Ordinum legitime datum exigit, qui cum per itionem in partes impediatur, sequitur, vt ipsa etiam Imperatoris auctoritas cesset. Deinde negotia, imperio ciuili et suffragiorum lationi exempta, ipsa legis sanctione reuocata fuerunt ad amicabilem compositionem, cuius quidem ea natura est, vt sine Imperatoris et Iudicis auctoritate, solo eorum, quorum interest consensu, contrahatur. Ex quibus omnino conficitur, vt maiestati nullum ius sit, aut impediendi itionem in partes turbandiue Ordines hac libertate vsuros; aut imperandi aliquid interponendiue auctoritatem, facta iam in partes itione; aut consultationibus inter vtrumque Corpus institutendis peragendisque se immiscendi; aut in vniuersum aliquid agendi, quo libertas vtriusque Corporis, impediatur, minuat vel tollatur. (1)

At

(1) cf. PFEFFINGER *ad Vittr. T. IV.*  
 p. 387. ILLVSTR. PÜTTERVS *Inst.*  
*Jur. Publ.* §. 180. GEN. DE SELCHOW

*Elem. Jur. Publ.* §. 243. et PRAESIDIIS  
 Opus de *Plenit. Pot. Caes. P. I.*  
 Sect. III.



At vero Imperatoris est curare, vt ne quid detrimenti res-publica capiat, vt pax et tranquillitas Germaniae conferuetur, vt salus et felicitas communis patriae augeatur. (2) Sequitur itaque, vt omnino etiam ab hac parte, iura simul et officia ipsi tribuenda sint. Primum quidem Imperatoris est vigorem Comitiorum discessione in partes extinctum, resuscitare in rebus negotiisque, ad quae itio in partes non porrigitur. Etenim id saepius vnum et solum est salutis publicae tuendae et augendae medium. Deinde potest adhortari vtrumque religionis Corpus sermone Caesareo, vt in concordiam redeant amicaeque ratione dissidium componant (3) modo haec omnia sine

vi


(2) Plura in hanc rem loca conduxerit LIMNAEVS *Iur. Publ. Lib. I. c. VII. num. 51.* PEEFFINGER *ad Vier. Tom. I. p. 402.* SAM. TREVER *Iurispr. Publ. circa titulos Officii Imp. H. Imp. 1753 4.* MAIERVS V. CL. *in opere; d. u. s. e. b. e. s. e. h. e. i. s. g. e. i. s. t. i. c. h. e. s. t. a. t. s. v. e. c. h. e. P. I. c. 3.* BIENERVS *de Plen. Pot. Caes. P. I. Sect. II. p. 122.*

(3) CAROLVS VI. IMP. A. decreto an. 1724. in *Cancellaria Imp. Tom. XXXVII. p. 228.* ait: So Status sich über ein und das andere nicht vergleichen können oder deswegen nicht zusammen kommen, sondern de Corpore ad Corpus tractiren wollten, so sollte die Commission, im Namen Ihre Kais. Majestät Mittler Lynn, und wie vor diesem geschoben, die Sache zu vergleichen allen Fleiß anwenden. Non negaverim id ad officium Imperatoris (kaiserliches Amt) pertinere, sed consensu vtriusque Corporis, nisi ipse Imperator

ab alterutra parte stet, vt ipsius Corporis simul sit membrum. Atque huc retulerim RELATIONEM CORPORIS EV. ad Imperatorem A. super grauanibus religionis, apud SCHAVROTH T. II. p. 793. quo legitur: *welchergestalt bey Einrichtung des Religionsfriedens Evangelici in absonderlichen Zimmern von denen Römisch-Catholischen getheilt gewesen und von Kais. Majestät Ihr Gutachten, Verantwortung und Vergleich durch besondere Handlungen verlangt, und von ihnen denen Evangelischen auch gegeben worden, ist ebenfalls aus den Protocollen vom 19 und 20 Junii auch 30 Aug. 1555 ersichtlich und selbst aus damals geschenebener Kaiserlichen Proposition bekannt, dass man auch Kaiserlicher Seite namentlich Status in zwey Theile getheilt hat. Exemplum autem comitiorum auctoritate Imperatoris resuscitatorum apud eundem SCHAVROTH T. II. exstat, cuius supra iam meminimus.*

F





vi et coactione fiant et agantur. (4) An autem Imperator se ex officio Consultationibus vtriusque Corporis immiscere, transactionemque adiuuare possit, videamus. Imperatoris est in ipsa lite et causa neutram partem sequi, efficitur igitur, vt sponte officium interponere et consultationes regere non possit. Beneficium enim itionis in partes praesertim in vtilitatem Evangelicorum fuit introductum et omnino verendum est, ne Imperator religionis suae partes tueatur et pondus addat consultationibus. Deinde facile etiam fieri potest ob venerationem Capiti regni debitam, vt libertas transigendi minuatur, et quod salutis publicae ergo comitiis et suffragiorum latiori exitum est, potestati Caesareae paulatim vindicetur. Tandem etiam haec ipsa est legis sanctio, quippe quae rem inter partes agi et componi oportere statuit, nulla plane Imperatoris mentione facta. Vsum autem et obseruantiam harum rerum ex gestis adisque imperii referre, non vacat. (5)

Pendet iam in Imperio Germanico itio in partes nouissima super qualitate suffragiorum collegiis Comitum Franconicorum et Westphalicorum in comitiis competentium, diutius iam vigor Comitiorum impeditus fuit, et IOSEPHVS II. IMP.

AVG.

(4) Huius generis exempla referre non vacat. Quantos fluctus commouerit DECRETVM CAROLI VI IMP. A. an. 1720. die XII. Aprilis datum commemorare nolo. Refertur apud SCHAERÖTH T. II. p. 641.

(5) GEN. DE SELCHOW Elem. Iur. Publ. §. 243. ita iudicat: Si nec vtrumque Corpus de amica compositione conuenire queat, vel omne negotium quisfecit, vel Imperator SPONTE VEL ROGATUS, velut arbiter honorarius, in

vtrouque Corpore ad eandem sententiam deducenda elaborat. Nunquam autem cognitionem super votis communibus vel decisionem ex plenitudine potestatis Caesareae faciendam Imperatori reliquerunt Status Imperii et aegris aliquando tulerunt, si aut censoria nota conelisi Corporum exceperentur, quod libertati suffragiorum comitialium contrariam reputarunt, vel potestatem iudicialiam circa eadem aut euadendam aut miranda sibi tribuere viderentur Imperatoris.



AVG. imperii Caput ob omni parte, si scriptori priuato de tantis rebus iudicare licet, quae ipsius erant praefinit. Restat vt capiatur palma Ordines vtriusque religionis in concordiam reducendo, quae sine detrimento diutius a Germania, communi patria, abesse nequit. (6) Haudet Germania Imperatori Augusto, Concordia redux pias laudes canet, quilibet autem ciuis mente sincera summum Numen rogabit, vt IOSEPHVM II. vita longaeua et valetudine firmissima mactet. (?)

*Imperator, pendente in partes itione, officium suum aut rogatus aut sponte interponit.*

Regulam proposuimus esse Imperatoris, interpolita in partes itione, quiescere, salua tamen imperii forma et auctoritate eius in regimine Germaniae particulari. At vero istius regulae exceptiones subiungam. Cum enim finis itionis in partes est, salus reipublicae, sequitur, vt si hoc periclitetur, officium Imperatoris euocetur, ad periculum et ruinam imperii auertendam. Fieri itaque potest, vt Imperator se immisceat ipsis

F 2


con-

(6) Ante iam haec scripseram, quam quae in Comitibus gerebantur, cognoueram. Sed incidit in manus Abschrift eines Kaiserlich-Königlichen Rescripts aus der Staatskanzley zu Wien, welches der Churböhmische Herr Minister unterm 6. Decemher 1787. den Catholischen Herren Reichstagsgefangenen mitgetheilet hat. Leguntur ibidem haec: Da aber so viele in Ansehung stehende wichtige Materien nach mehrjährigen Stillstand der ordentlichen Reichsberathschlungen deren baldige Vornahme

immer nöthiger werden, auch zu befürchten ist, daß Seine Kaiserliche Majestät, als Reichsoberhaupt, nach so langer Nachsicht und öfterer Ermahnung zur Einigkeit, diese Verzögerung nachdrucksam abnden dürften, so siehet man sich. —

(7) Germaniam IOSEPHI II. IMP. A. auctoritate et VTRIVSQUE CORPORIS studio, votorum suorum esse compositum, nuper ex diurnis publicis cognouimus.





consultationibus atque ipsi negotio, super quo itio in partes facta fuit, sed ex quibus causis id procedat, videamus.

Primo quidem officium est Imperatoris, vt rogatus consilia suppeditet et amicam transactionem adiuuet. Officium hoc declinare nec potest nec debet, si modo vtriusque Corporis consensu rogetur. Vna enim pars contra vim et iniuriam implorare quidem potest Imperatorem, sed non rogare, vt ipsius causam adiuuet aut ex plenitudine potestatis decidat. Imperatoris enim est neutri parti, neque rogatus neque sua sponte, accedere, quippe maiestas accessu suo magnum pondus addit, vt aequalitas necessario inclinetur. Ab vtroque autem Corpore rogatus recte interponit officium suum, consulendo, transactionem suadendo, adiuuando aut ipsam adeo litem et causam, si haec potestas vtriusque Corporis consensu ipsi data sit, definiendo. Quo quidem casu, non iudicis, sed arbitri et mediatoris inter duo libera corpora constituti fungitur officio, ideoque potestas eius ex compromisso existimanda et definienda erit. (1) Omnem enim potestatem iudiciariam cessare, manifestissimi iuris est.

Deinde etiam contingere potest, vt facta in partes itione aut nulla sequatur transactio, aut rescissis comitiis iratisque animis discedatur, vis et arma parentur, imperioque ruina immineat; et an etiam nunc quiescendum sit Imperatori, quaeritur. Ego vero non puto. In tali enim statu fas et iura sinunt, quid? quod exigunt, vt Imperator salutis publicae ergo auctoritatem interponat suam. Itio enim in partes remedium legitimum est contra vim et iniuriam suffragiorum, non vt inde bella ferantur ciuilia. Primum quidem Imperatoris erit, se immiscere huic rei, consulendo et suadendo concordiam, deinde comitia

con-

(1) Exempla referre non vacat; HENRIGES de *summa Imperatoris potestate circa sacra* cap. I. §. 28. dabit quaedam, idque annotauit etiam BIE. NERVS de *Plenitudine Potest. Coef. P.* I. p. 243. Illustre exemplum REG. IMP. SPER. an. 1544. §. 32. praebet.



conuocare aut eorum vigorem et consultationes resistere, non vt lis definiatur, sed vt de optimo modo fedandi animos deliberetur, tandem, si nec id proficiat, confugiendum erit ad plenitudinem potestatis, vt statuatur ac definiatur, quid optimum factu sit. At enim tantae rei iudicium ex legibus Imperii publicis non solum Imperatori datum fuit, sed necesse est, vt Principes Electores, perpetui et nati Imperii consiliarii, adhibeantur, et simul cum ipsis decernatur, quid in rebus trepidis e republica videatur. (2) Reliqua ex re ac tempore existimanda erunt, ideoque vltiorem rei tam delicatae disquisitionem omitto, rogans potius summum Numen, vt prouidentia sua Germaniam regat ac tueatur.

### §. XI.

*De vi amicitiae compositionis inter vtrumque religionis Corpus initae.*

Maximi momenti quaestio est, quam obligationem producat transactio inter vtrumque religionis Corpus legitime inita. Duplex huius rei est consideratio contemplatioque. Primum enim spectari debet inter vtrumque religionis Corpus, deinde erga vniuersum Imperium, tanquam ciuitatem, consideratum. Pauca delibabo.

F 3

1) De

(2) MAIERVS in geistlichen Staatsrecht p. 51. ait: Wenn auf dem Reichs-territorium zwischen den Religionsstehenden Unterthanen Religionssträufigkeiten entstehen, wodurch die allgemeine Ruhe und Wohlfarth des Reichs in Gefahr kömmt — so gebührt der Majestät die allgemeine Ruhe in jenem Fall DURCH EINEN MACHTSPRUCH zu handhaben. At vero id ipsum fieri oportere Principum Electorum consensu ex A. B. Art. VII. §. 1. CAPITVL.

CAES. Art. III. §. 3. Art. IV. §. 2. patet, pluribusque exposuit PRAESES de Plen. Pot. Caes. P. I. Sect. I. c. IV. P. II. Sect. III. §. 77. An itio in partes SANC-TIONEM PACIS Art. V. §. 51. vbi cautum: Liberumque sit suae maiestati in causis maioribus et vnde tumultus in imperio timeri possunt, insuper etiam quorundam vtriusque religionis Electorum et Principum sententias et vota requirere; admittat, valde dubito.



1.) De vi amicabile compositionis intuitu utriusque Corporis erga se invicem relati.

Primum quidem extra omnem dubitationem positum est, utrumque religionis Corpus transactione inita et naturaliter et civiliter obligari. Naturali enim iure pacificendi facultatem societatibus competere, palam est, iure civili autem in Germania id ipsum ius utriusque Corpori fuisse datum, demonstravimus. Sed an omnia cuiusvis Corporis membra, an ea duntaxat, quae itioni in partes et transactioni accesserunt, teneantur, quaeritur. Regulam equidem constituendam esse existimo, omnia cuiusvis Corporis membra plene et perfecte transactione Corporis obligari. Est enim haec omnium societatum natura, ut quaelibet unam tantummodo habeat voluntatem, quae legitime declarata ad omnia membra pariter spectat, ideoque necesse est, ut eadem lege obligatio voluntate Corporis contracta aequaliter ad omnia membra porrigatur. Id ipsum tamen in iis duntaxat causis negotiisque locum habere potest, quae natura et lege, communi societatis voluntati subsunt. In Germania autem hoc genere omnia ea continentur negotia, quae legibus imperii publicis ad comitia et suffragiorum lationem ablegantur. Usus igitur perdit regula in causis religionis et iuribus singulorum, quippe quae in ipsis comitiis suffragiorum lationi exempta, nec in Corpore religionis pluralitate votorum definiti possunt. (1) Quod si vero necessitas aut utilitas publica exigit, ut super tali etiam re incatur transactio, quippe haec ipsa facultas utriusque Corpori datur, tum quidem obligatio inter

(1) Disceptatum fuit hac de re in Corpore Evangelicorum, sed sententia proposita obtinuit cf. STAATSCANZELLE T. XXXV. p. 291. OSTERHAUSEN *diss. de iure singulorum* §.

XXXVII. TREVER *de Comitibus Corp. Euang. cap. III. §. 12.* MOSER *von der deutschen Religionsverfassung Lib. II. cap. IV. §. 25.*



vtvumque Corpus firmissima semper erit, in ipso autem Corpore eos tantummodo tenere potest, qui consensu dato participione voti communis facti fuerunt. Quare exceperim ab obligatione talis transactionis ea membra, quae aut non consenserunt, aut dissentium declararunt, quatenus ad cuiusvis religionem et iura quaesita pertinet transactio, quatenus autem ad salutem totius Corporis spectat, salua cuiusvis dissentientis religione et iure salvo, etiam ea membra obligari existimo, quae consensu suo commune votum non confirmarunt. Id enim tam naturalis, quam civilis ratio suadet.


*II.) De vi amicabile compositionis intuitu vniuersi imperii.*

Altera contemplatio transactionis inter vtrumque religionis Corpus inita haec est, vt quaeratur, an? et quatenus? totum imperium, vt ciuitas in se teneatur. Primum quidem monendum est, vtrumque religionis Corpus repraesentare totum imperium, in duas partes secundum ecclesias diuisum. Lege autem publica vtrique Corpori datur potestas transigendi de rebus dubiis, consequens igitur est, vt talis transactio instar pacti ac legis fundamentalis sit habeatur, eiusque obligatio ad totam ciuitatem porrigatur. Cessat enim imperium civile, potestas definiendi controuersiam in vtroque religionis Corpore residet, quidquid igitur geritur, contrahitur in hoc statu, eandem vim habere debet, ac si in ipsis comitiis definitum fuisset. Atque id ipsum etiam vsus et obseruantia confirmat. Quae enim pacta a primis religionis Euangelicae initiis inter vtriusque religionis Proceres condita fuere, per totum imperium, vim obtinuerunt et auctoritatem, quanquam in quibusdam promulgatio Imperatoris ex vtriusque Corporis consensu accessit. (2)

Tan-

(2) Exempli loco sit Pax Religiosa an. 1532. Norimbergae inita, cuius promulgatio Imperatori §. 6. demandata fuit, vt poena publica obseruatio eius muniretur.





Tandem id ipsum salutis publicae ergo obtinere debet. Quod si enim non vniuersa teneretur ciuitas, facile cludi et infringi possit transactio, vt relaberetur imperium in pristinam discordiam, quod quantopere a mente et sapientia eorum, qui pacem Westphalicam condiderunt, abhorreat, per se intelligitur.

Haecenus de officio Imperatoris. Constitueram ab initio caput subiungere, quo disquirerem, de promulgatione transactionum ab utroque religionis Corpore initarum eiusque effectu, simulque inuestigarem, an? et quatenus? decreto Imperatoris ratificatorio opus sit ad vim legis fundamentalis transactioni inter vtrumque religionis Corpus inita impertendam, praesertim cum tali transactioni vim obligandi vniuersalem ex se et sua natura inesse diximus. Sed cum res tanti momenti breui pertractari non possunt, ampliorem autem disquisitionem fines libelli academici non admittunt; haec disceptationi scholasticae, cuius quidem causa tota scriptio fuit composita, sufficere existimo.



Leipzig, Diss., 1785 A-0



f  
sb.









670  
1785,7

DELIBATA IVRIS PVBLICI CAPITA  
DE

IVRE EVNDI IN PARTES  
OFFICIOQVE IMPERATORIS  
ORDINIBVS IMPERII IN PARTES  
EVNTIBVS

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
PRAESIDE  
D. CHRISTIANO GOTTLOB BIENERO

IVR. NAT. ET GENT. PROF. PVBL. ORD.

A. D. XVII. FEBRVARII CIDIO CCLXXXV.

H. L. Q. C.

AD DISCEPTANDVM PROPONIT  
AVCTOR

FRANCISCVS GVILIELMVVS SCHARE  
LIPSIENSIS.

LIPSIAE  
EX OFFICINA IACOBAEERIA.

